IVSTITIA BRITANNICA.

PER QVAM LIQVET PERSPICVE ALIQVOT in eo regno perditos ciues, SEDITIONIS & armorum ciuilium authores, regnig hostium propugnatores acerrimos, vt communi Ecclesiæ Reig publicæ paci, cautius prospiceretur, morte mulctatos esse: propter RELIGIONEM vero, aut cæremonias Romanas, neminem in capitis discrimen vocatum: licet ab aduersarijs secus multò, & admodum malitiosè publicetur.

Perscriptum primo in nostrate lingua, Deinde versum in Latinam.

LONDINI,
Excudebat Thomas Vautroullerius, Anno M. D. LXXXIIII. Anno regni Reginæ Elizabethæ XXVI. Mense Martio.

IVSTITIA BRITANNICA.

PER QVAM LIQVET PERSPICUE, aliquot in Anglia perditos ciues, propter turpes PRODITIONES *morte mulctatos esse: propter* RELIGIONEM *verò aut ceremonias Romanas neminem.*

SEMPER hoc fuit in omnium nationum atque gentium more positum, iam inde ab vltimis ductum perditorum ciuium temporibus, vt si qui turpiter contaminassent vitam, aut sceleribus se grauioribus obstrinxissent, ijdem, fœdissimis flagitijs & sordibus suis, falsa virtutum & recte factorum nomina imponerent: tùm, vt viam contra vindictam omnem & dedecus certam atque facilem sibi munirent, tùm, vt conatus suos impios ceptaque scelerata, ad eos, quos

Scelerati obiiciunt semper sucos criminibus suis.

Perduelles in regendis flagitijs fuit perniciosissimi artificis.

optarant, exitus, liberius perferrent. Qui mos cum in omnibus peccantibus periculosè admodum inualescit, tùm summo maximoque cum periculo retinetur in ijs, qui contra principum suorum Maiestatem, contra focos & aras, contrà ceremonias & religiones, & vt vnò verbo complectar, contra dulcissimam patriam, inexpiabiles fraudes nefariè conceperint. Cuius quidem generis, recentibus ijs tẽporibus, incredibilem quandam sementẽ tam in *Anglia* ipsa, quàm in *Hybernia*, fecerũt perditissimi latrones, ciues domestici, nati in gremio atque in visceribus eiusdem nobiscum communis patriæ, qui tamen cum aliquot iam annos aduersus Augustissimam, Inuictamq; Reginam suam *Elizabetham*, obseruanter se demisséque gessissent, subitò inopinatoque, malis ducibus & authoribus rapti, & tanquam turbine nescio quo ablati, primò iam anteà in *Anglia*, tum post item nuper in *Hybernia*, teterrimè conspirarunt, contra omne fas atque nefas, in sacratissimam Principem suam, & cõmunẽ patriam, sumptis armis, ductis in aciem copijs, expansis impiè signis & velis, aspersis omnis generis mendacijs, funestissimisque habitis concionibus, quibus imperitam plebem, rerum nouarum cupidam, itemque in pernitiem suam facilé ruentem, ad partes sectamque suam

Cõiuratio iam in Anglia quã Hybernia.

ſuam, callidè & verſutè, adiungerent. Licetq; nihil ſit notius, nihil expreſsius, nihilque teſtatius, quàm non ſolum conſilia, ſed & acta reſq; ſuas geſtas omnes eo erupiſſe, vt depoſita atq; deſpoliata regno ſuo legitima hærede, & potentiſsima Principe, aliquem alium, quod in eorum votis iamdiu fuit, eiusdē loco & Principatui ſceleratiſsimè ſufficerēt, in quò ipſo, niſi prudenter & expeditè tot tantiſque ſceleribus ſimul occurſum fuiſſet, omnia iam iamque redundaſſent ſanguine, pluresque fideles & innocentes ciues, iuſtiſsima in cauſa, indigniſsimè cecidiſſent: Deus tamen ipſe ille Maieſtatis ſuæ perennis cuſtos, victoriam pro ſumma clementia ſua, tam facilem, tanquam inſignem præbuit, vt puncto ferè temporis, omnia conſopirentur. Exemplum cœleſtis iuſtitiæ, ad omnem poſteritatem memorabile. In tam illuſtri igitur exemplo, ne quid ſeuerè nimis fieret, aliquot inſignes prædonum capite mulctati, pœnas iuſtas luerunt: nonnullis, quòd perfidiam ſuam cum gemitu profiterētur, turpiſsimamq; coniurationem ſuam detexerent, vita eſt cum fortunis omnibus ſimul remiſſa. Reliqui verò, ijque ex principibus pauci, elapſi ex acie, tranſmarina regna, & libera territoria petiuerunt, ſtrumæ ipſæ, atque funera patriæ ſuæ teterrima. Vbi cum minus expedi-

Rebelles fuſi.

Quidam rebelles tranſmarina regna petiũt

ret ijs, cauſam ſuam ita vt erat, profiteri, quod omnibus regibus, omnibus populis, cunctiſq; gentibus, ingratum ſit ipſum defectionis & proditionis nomen, multa affinxerunt tetra & probroſa, quibus Regũ nonnullorum, Principũ item, maximarũq; ciuitatum aures implerent, pelli ſe à patrijs ſedibus, à coniugibus & liberis ablegari, omnia ſibi ſuiſque eripi religionis cultuſque diuini cauſa. In primiſque Pontifici Romano hæc inſuſurrantur, vulgatiore verbo Papæ dicto, à quo in hæc ſcelera primum impellebantur, omnia in ſe coniecta hæc mala, quòd Sanctitatis illius partibus faue rent, quòd eius ſectæ adhæreſcerent, quòd iuriſdictionem ipſius, authoritatem & regnum tuerentur. Cum tamen ante hanc conſpirationem, huius ſectæ nonnulli, maximéque ipſi Principes & authores coniurationis, cum vitæ curſum tenerent, quà ſtudiorum, qua morum, quà religionis forma, vt cum portentis illis Sardanapalo & Catilina vixiſſe potius familiariter, quàm inter probatos & incorruptos iuſti regni ciues annumerandi viderentur. Quorum nihil attinet omnes nominari. Paucos igitur vt curſus orationis meæ ferat, breuiter intexam, ne omnia acerbè nimis inſectari aut collegiſſe videar.

Rebelles ad nouãdos ſe religionẽ prætexunt.

Principes coniuratorũ Carolus Neuellius

Carolus Neuellius cũ huius latrocinij principibus

cipibus aufugit in tranſmarinas partes, ex nobili Veſtmerlandienſi familia Heros, cinedus mollis, & per omnem vitam turpis decoctor, primum, in ipſo ſceleris ſui apparatu iuſtiſsima Dei ſententia transfixus, ereptis liberis, qui familiæ ſuæ nomen & decus tuerentur: itémque exeſo nunc tandem vlceribus, ſicut à familiaribus ſuis fertur, corrupto & vitiato corpore, vt ne in inuidis quidem ſuis ſuperſit nunc quiſquam, qui peſtem illi aut vindictam acerbiorem, optare velit. Magna reipub. labes, tam nobilem familiam, quæ à Principibus ſuis anteà nunquam defecerat, ad tam probroſum exitū corruiſſe. Elabitur ex Hybernia, *Thomas Stuclius*, infàme per totum orbem prodigium, bellua perfida potius, quàm homo, patriæque ſuæ indigniſsima lues, primò fugiens ex Anglia, quod piraticam frequenter fecerat: tum autē Hyberniam relinquēs quod inexpiabilia quædam & verecundis auribus, ne nominanda quidem ſuſcepiſſet: vterq; Princeps ſeditionis author: domi alter: alter in Hybernia. Quę cū ita plana ſint, ijſq; veritatis notis & inſignibus impreſſa, nihil vt eorum negari poſsit, hoc eſt, ijs morum vitæq; ſordibus, non ſolū hos quos nominaui, vixiſſe, ſed & reliquos horum ſcelerum, & rebellionis affines, placuit tamen Pontifici Ro-

Veſtmerlandenſis Comes, & Thomas Stuclius

mano, non eo impudētiæ genere, quo iſti perditi ſunt vſi; in arcem huius cauſæ inuadere, ne corruptor fortaſsis publicæ diſciplinæ reliquis videretur Chriſtianis principibus eſſe, quod in Pontificali non poterat hac authoritate ſine ſummo dedecore fieri, ſed aliò delabens verſutè, vt ſibi viſus eſt, nodum contexit genere ipſo paulò turpiorem, locoque, quem ſibi aſſumit, planè indignum. Inflat enim ſine fuco tubam ſuam, excitat non ſolum perditos ciues, ſed etiam innocentes & ſimplices animat, vt turpis huius inſtituti iter quam primum decurrant, hoc eſt, vt arma & tela confeſtim capiant, vt in Auguſtiſsimam Principem, & ſanctiſsimam patriam, tranſmarinis cohortibus impreſsionem faciant, ſimulque ſine mora, vt ferro & igni vaſtent omnia. Quæ vt maturiùs ad exitus ſuos expedirentur, diplomata quædam & Bullas aliquot annos iam anteà in omnes horum regnorum partes tranſmiſerat, vſitata fulmina, & tonitrua iuriſdictionis ſuæ, quibus iniurioſiſsimè publicat & edicit, Auguſtiſsimam Principem noſtram, eandemq; inunctam, & ſacratam ex præpotentis Dei beneficentia, Reginam, cum multos iam annos, vt hæres legitima regalis huius ſolij, in eodē cōſediſſet, regni tamē huius, & auitæ hæreditatis Reginā omnino non eſſe. Mandans idētidem in ijs

Bulla Pontificia in Auguſtiſſimam Angliæ Reginam.

in ijsBullis,vnaq; execrationibus omnibus iniũgens & præcipiens, vt omnes horũ regnorũ ciues à Principe ſua deficerent, ſpreta & contempta omni obſeruantia, ad quam, tam religionis Sacramentis,& ſingularibus fidei ſponſionibus,quã naturę iure & ipſis incunabulorũ faſcijs,obligarentur. Itémq;, non ſolum vtriuſque regni ciues omnes,qui in patrijs tectis domi viuerent, ſine exceptione, ad flagitioſam hanc defectionem incitans, prodigioſo hoc mandato,& plane Antichriſtiano, omnibuſq; legibus tam diuinis quam humanis repugnãte, nec cum paſtoritio illo ſuo munere & officio quoque modo conſentiente: ſed etiam incendens fecem illam profligatam,& trans maria elapſam,quæ in ipſa ciuilis huius belli flamma hinc ſe ripuerat,ſimulque quoſcunque alios,qui ſiue anteá ſiue poſtea,patrias ſedes turpibus de cauſis reliquerant, proditores, parricidas, veneficos, decoctores, literatos item quoſdam domi factioſos, omniáque ſtomachantes, quod in publicis gimnaſijs ſupra fortunam & merita ſua,extraordinarijs dignitatibus non augerentur, exeſos quoſdam, fractos, & laceros mercatores, quoſdam item,ad ſerendas lites ac contentiones eruditos, at in obſequio obſeruantiáque erga Patriam & Principem ſuam admodum rebelles & inſci-

entes, qui tamen omnes dispertitis inter se officijs, vt milites dispositi in speculis, sic ad omnes functiones & ministeria facinorum suorum solerter excubabant. Alijs, transmarinam vim impiè contrahentibus: quibusdam, pecuniam ad alendam eandē vim parantibus: multis, in Monarcharum & maximorum Regum aures futiles & fallaces sermones instillantibus quibus ad ferenda arma contra patriam, communem suorum parentem, inflammēt: aliquot etiā ad tollendā POTENTISSIMAM domesticas insidias struentibus: nonnullis, famosos libellos, quibus iam plena sunt omnia, sine intermissione detexentibus, teterrimis descriptos verbis & venenosissimis conspersos mendacijs. Quid quæritis? vt simul complectar, omnibus huc vnà incumbentibus, Bullæ vt illæ sacratæ, aqueis Bullis, à quibus mea quidem opinione nomen sumpserunt leuiores, meræ nugæ & quisquiliæ, vim, locum & authoritatem suam Pontificiam obtinerent.

In tuenda bulla rebellionis solertia.

His igitur stabilitis & fixis, cum adhuc tamen nodi quidam interuenirent & impedimenta, sic vt non posset maturè & facilè ad reliquum huius itineris decurri, quòd quidam transmarinorum Principum, pro summa prudentia & diuina iustitia sua, ad tam præcipitem támque cruentam causam minus adhuc propenderent,

penderent, videte quæſo pro acumine hominum inuidorum verſutam ſolertiam, qui cum in vinetis ſuis ocium non poſſent ferre, Scolas erexerunt & Collegia hominum literatorum, quos nomine *Seminarios*, id eſt, tanquam Seminatores dicebant, viros obfirmatos ad perniciem, peruigiles ad explenda ſcelera ſua & exercitatos, itémque in ſpargendis ſeditionum venenis mirificos artifices, quos eoſdem, tanquam in prouincias milites, ſic in omnes tam Angliæ quàm Hyberniæ partes admodū cautè & diligenter diſpertiuerunt: alios, expletos Sacerdotes: multos, minoris ordinis *Seminarios*: quoſdam etiam, excellentioris gradus *Ieſuitas*: omnes perſonatos, & à profeſſa diſciplina ſua, ne veſtis fortaſſe aut apparatus proderet, ſe, de induſtria & ex compoſito immutantes, deletis ordinum ſuorum inſignibus & tāquā abſtractis inſulis. Quibus tamē omnibus hoc fuit propoſitū, hoc inſtitutum, vt tanquā agricolæ diligentes & ſeminatores frugum grana ſua, ſic & iſti Pontificis Romani feces & ſordes ſpargerent, cœras ſacratas, irreptitios Dei agnos, tanquam minorum gentiū Deos, miſtica grana, ſanctificata precatoria, ſuperſtitioſam turpium rerum mercaturam & puerorum iocularia ſæpè à multis deriſa: qua tamen mercatura non ſolum vulgus inducerent

Seminariæ ſcolæ inſtitutæ tanquam ſeditionū nutrices

Seminariorum clādeſtinus ac ceſſus in regnum vt plebē ad defectionē ſollicitent.

in fœdam, & anilem ſuperſtitionem, ſed & ad probandas Bullas, cæteráque illa confirmandi Pontificij iuris inſtrumenta attraherẽt, quibus ipſis, extraordinariam & nimis petulantẽ vſurpatam authoritatem in Monarchas, Reges, & Principes, cæteráſq; poteſtates omnes, Pontifex Romanus confirmare ſolet. Quibus perniciociſsimis inuentis, ita tamẽ perexiguo tempore, exulceratis quorundam conſcientijs, profectum eſt, vt niſi pro ſumma prouidẽtia ſua, Deus Opt. Max. confeſtim reſtitiſſet, patefactis harum ſuperſtitionum ipſis fontibus, neceſſe erat, non ſolum tumultus horribiles, & motus ciuiles inſequi, ſed & Chriſtiani ſanguinis riuos quoſdam, cædéſque infinitas, ſine mora fieri. Quid enim apertius eſt, quàm tantũ & tam perditũ numerum, ijs inuẽtis allectum, & perductum eò, vt Chyrographa & inſtrumenta Romana probaret, non modo in animis ſecretô & tectè, ſed & in luce palam, reum proditionis tantique ſceleris, iam iámque futurum? productis in aciem viribus ſuis, quibus ſuperiores, ſi infeſtus caſus feciſſet, quid defuturum putatis, vel ſceleris vel crudelitatis, vt omnia, quod iamdiu in votis eſt, ad Romanũ Pontificem impie transferrent?

Sũmus tamen & immortalis Deus, præpotens ille omnium rerum adminiſtator, cuius ditione

ditione ac numine, omnes Reges ſedes ſuas & regna tuentur, & cuius vel leuiſsimo ſpiritu, proditiones & impij conatus omnes diſsipãtur ſuſcepta in tutelã humilima ANCILLA ſua, tam propter probatos mores, quàm quòd nomen Dei ſui ſacratum vero cultu in terris honoraret, duo illi dedit ad ſe muniendam præſidia, prudentiam, & authoritatem: illam, vt ſummotis inſidijs ſine mora, vigilanter ſe, & ſalutem ſuã defenderet: hanc, vt ſumpta in hoſtes vindicta, in ſua vita conſeruanda regnare diſceret. Itaque dimiſsis in intimas regni partes nuncijs, extraxit è latebris ſuis, certos ſeditionis ſatores, quos perduxit ad tribunal, quod eſt omnium facinorũ vltimum euerriculum, ibique iuſtis criminibus, & plena concione, accuſauit: non religionis, non conſcientiæ, non Pontificiæ Monarchiæ, quòd magis crebrò tamen quàm vere fertur, ſed læſæ Maieſtatis, atque impię proditionis, idque peruetuſtis ſtatutis & legibus, ſupra ducentos annos *Eduardi* tertij temporibus rogatis, cum non minus apud nos quàm in cæteris Chriſtianis regnis Põtificis Romani vigeret authoritas, vti in iudiciorum & curiæ formulis contrà hos reos perſcriptis, luculentè continetur. Quibus itidem reis factis, atque conceptis iuratorum ſacramentis legitimé condemnatis, veniámque

Seminarij ſeditionis ſatores capti, & proditionis facti rei & ex vetuſtis regni legibus morte mulctati

criminum, quæ æquissimis conditionibus, & ad perpetuam Augustissimæ Reginæ memoriam delata est, prætractè recusantibus, quòd in desperatis institutis suis obfirmatiores essent, in custodias publicas à tribunali diuisi sunt, vt statis temporibus, & certis diebus morerentur. Quod idem expletum est, sicut iudicum sententiæ præscripserant. Sequebantur enim infestissimum Augustissimæ & regni nostri hostem, Phalaridem illum Romanum, qui non modo faces omnes huius ciuilis belli vtroq; in regno inflammauerat, sed & in Hybernia cohortes suas, stipendio & congiario, sub signis Romanis contra nos aluit, hostis vt nullus vrgere posset acerbiùs. Si qui tamen horũ ab erroribus suis pedem retraxerant, is fuit excellentissimæ Reginæ animus, eáque misericordia, vt pœnam statim remitteret, neminémque mori cuperet, nisi qui obduratè ipse se abijceret.

Quibusdam condemnatis venia concessa

Genus igitur huius sectæ, quod & quale sit, etsi ex ijs, quæ dixi, perspicitur, idem illud tamen ex his, qui adhuc latent, & in intima transmarinorum regnorum viscera sese abdiderũt, vt & à periculo quàm longissimè abessent, & molirentur item aliquid securiùs, quod genus mali latè patet, pari in scelere, & fusius & liquidius elucescet. Qui enim grandiores sunt

in illis

in illis, & authoritate præstant, ij iuniorum nidos, cum pennis valent, excutiunt, mandantque, vt in ditiones nostras confestim inuolent, vt inchoata instituta teneant, hoc est, vt cõsopitas iã & in patriæ gremio sepultas cõspirationes veteres renouent, omniaq; perturbẽt, ac misceant, vt Bullarum vires contra Principem & patriam suam confirmentur, muniantur, & pro omni facultate sua labantes iam recolligantur. Qui itidem, si in ijs partibus comprehensi, cogantur aliquando consiliorũ suorum fontes ipsos aperire, tanquam agni simplices eodem relabuntur, tantum se affirmantes attigisse negotij, quantum sibi à primoribus suis, quorum sibi ab institutis & legibus non liceret propter conscientiæ vim discedere, mandatum esset. Id autem ab ijs sibi negotium datum esse, vt spretis omnium Regum atque nationum mandatis & terroribus, irrepentem in hæc regna, vt vocant, impietatem tollerent, vt collabentem religionem excitarent, vt errantis populi conscientias instruerent, corrigerent, & quoad sibi visum esset, omnes in partes inflecterent. Genus responsi, vt videtis, simplex & apertum, cum flexus tamen varios habeat, nihilque sit à simplicitate alienius. Hic enim scopus, hæc consiliorum suorum meta est, quod crebris & manifestis indicijs constat,

Proditores transmarinos seditiosos in regnum immittunt.

multitudinem & plebem, cum qua cõferre audent, vt ſuis partibus adiungant, vt Romani Pontificis Bullis & authoritate nitantur, eique in omnibus ſine exceptione parentes, ab omni in Principem patriámque fide & obſeruantia ſolutos ſe & liberos ſtatuant: ijſdémque eiuſdem Pontificis priuilegijs & mandatis permiſſum eſſe cuilibet ciui, liberè & ſine vllo conſcientiæ aculeo, arma contra Auguſtiſsimã Principem, & ſanctam Patriam ferre, cum à tranſmarinis ſocijs eò vocentur: itémque vires ſuas coniungere cum ijs, ſi qui ſint fortaſsis, qui decreuerint in hæc regna vim aut impetũ facere: qua etiam ſpe, vulgi & multitudinis animos iamdiu mirabiliter impleuerant. Perſpicuum ſit igitur, ne omnia differantur, omnia horum conſilia & conatus eo dirigi, vt non ſolum externis nos armis ac telis oppugnent, qua tamen peſte viginti quatuor annos, vel nõ multò ſecus, regnum hoc, memorabili exemplo, caruit, ſed vt ciuile bellum etiam & domeſticum inflamment, quo nihil miſerius, nihil periculoſius, non ſolum propter exitus eorum, qui ſunt incerti, ſed & propter vim, quæ ſine diſcrimine in omnes intentatur, vſque eò, vt non magis victores quàm victi quicquam inueniant, quo ſe conſolentur, aut in quo cum voluptate vlla acquieſcant.

Tranſmarini proditores bellum tam externum quàm domeſticum inſtruunt.

Quando

Quando igitur hæc ſunt illa vulnera Reipub. noſtræ, quæ neceſſe eſt fallaces hos ſpiritus & venenoſas viperas inſequi, ſi curſus daretur is, liberè vt correperent quo vellent, ſimulque acerbitatis ſuæ virus ſine periculo euomerent, vtcumque cum deprehenduntur, tanquam periculoſi hypocritæ conatus ſuos religionis & pietatis vmbris obtegant, hęc inquam, cum illa ſint vulnera quibus confeſtim mederi neceſſe eſt, expedit omnino, in primiſque Reipub. conducit, vt omnes Reip. ordines ſine mora ſe expediant, in quo ipſo, tam Auguſtiſsimam Reginam, proceres, cæterámque nobilitatem complector, quàm minores præſides & magiſtratus, quibus ſeperatim poteſtas a Rep. data eſt, vt pacem procurent in regnis & quietè viuatur, in quo genere, ita Principis noſtræ tempora floruerunt, vt maiores ſuos omnes hac fœlicitate multum vicerit. Quæ cum ita ſint, eò magis expedit, vt oborta nuper fœda tempeſtate, tanquam in publico incendio, ſic omnes, ſine exceptione, huc incumbant, huc vires ſuas omnes, vt quiſque authoritate valet, ſine mora conferant, vt naſcentia hæc mala, dum tempus fert, quibuſcunque modis, & pro omni acuminis ſui facultate ſupprimant, & deſperatos hos tam perditorum latronum conatus quàm primùm frangant, adhibitis non

Monarcharum et regũ munus præcipuum ſeditiones comprimere.

ſolum iuris & legum præſidijs, ſed & exacuatis etiam ſi neceſſe erit, mucronibus & gladijs, vt labes hæc omnis & ſtruma publica prorſus deleatur.

Nam illud quidem in Principe, quàm eſt honorificum, quanti officij, quantæque clementiæ plenum, viuere in Repub. ciues permultos, qui non ſolum in religionis cultuſque diuini opinionibus, à publicatis per totam Britannicam Eccleſiam ſcitis & legibus, multum diſcrepent, ſed idem illud etiam vultu & oratione profitentur, qui tamen quod probati ſint ciues & officioſi, ſicque in Principem & in patriam animati, vt in ijs tuendis defendendiſque nullum periculum vel ſumptum recuſent ſuum, ne ſi contra Romanum Pontificem acies inſtruenda eſſet, hæc à Principe Auguſtiſsima retributa merces illis eſt, vt non ſolũ liberet eos ab omni horũ ſcelerum ſuſpicione, ſed & vlterius permiſerit, vt ex vetere modeſtia integre ſe & incorruptè gerentes, ab omni inquiſitionis acerbitate liberi ſint & ſoluti, ſic vt nullus magiſtratuum in hoc infami proditionis genere, negotium illis vllum vel moleſtiam, aut velit, aut poſsit exhibere. Atque huius quidem generis aliquot ſunt & altioris gradus & probatioris vitæ, quàm fex illa fuit, in quam vis eſt nuper ſumpta, perilluſtres omnes

Nemo ſic animatus in patriam vt externis armis paratè reſiſtat, licet alienæ ſit religionis, in capitis iudicium vnquam vocatus.

nes, nec indigni, qui ad immortalem clementiſsimæ Reginæ memoriam, huic etiam loco certum ad numerum intexãtur. Horum ſummus & Princeps, tam propter geſtos honores, quam propter reliquam vitam *Nicholaus Hethus* fuit, illuſtre modeſtiæ prudentiæque exemplar, vnáq; excellenter eruditus, & Reginæ *Mariæ* temporibus Eboracenſis Archiepiſcopus, ſimulque in conſcientiæ Curia, quæ apud nos, Cancellaria, vulgato verbo dicitur, quæ honoratiſsimus item in Repub. magiſtratus eſt, Iudex ſummus. Demortua verò Regina *Maria*, cum præhenſis Reipub. gubernaculis Auguſtiſsima Regina vt hæres regni proxima ſucceſſerat, idem *Hethus*, quod eſſet probatis moribus, & in officio viueret, veteres magiſtratus gratiam, opes, & quicquid habuit præterea fortuiti boni, cum ſummo Principis fauore & ſtudio retinuit, prorſus in religione differens, nec propterea tamen, vel honore, vel fortunis comminutus. Qui tamen perexiguo poſt tempore, quod grauius fortaſsis commutationem temporum ferret, magiſtratus ſuos omnes, cæteraque illa honorum inſignia obſeruanter & gratè depoſuit, nulla iniecta foris vi, quo nihil eſt clarius, ſed ſponte ſua, vti innoteſcit, & maxime liberé. Cui ſtatim ab Auguſtiſsima, pro vetere clementiæ ſuæ more

Exempla indulgentiæ quæ Regina Angliæ vſa eſt in quoſdam regni ſui ſubditos & viros primarios Põtificiæ religioni addictos.

permissum est, vt in rusticatum & agros suos quos secundis in rebus coemerat, se subduceret, vel pro arbitratu suo, vt quouis aliò se transferret, vbi reliquam ætatem ex animi sententia literato in ocio consumeret, quod illi erat solum viuere. In quibus itidem multam ad ętatem vixit, prudenter, obseruanter & officioſé, non immemor earum laudum in quibus florente ętate viguerat. Discedens tandē de hac vita, testamentum perscripsit, agros illos legauit, & hæredes instituit, quibus item permissum est, vt ex Testamenti sententia liberé facileque eosdem possiderent: exemplum memorabilis clementiæ, summique officij plenū, nec in omnibus Reginæ *Mariæ* temporibus pari exemplo æquatum.

Polus item erat Petriburgensis Pontifex summæ modestiæ vir & raræ grauitatis, qui pari vsus Principis beneficio, in pari obseruātia, vitæque innocentia, tanquam ex theatro, sic exijt è vita. *Cutbertum Tonstallum*, Dunelmensem Pontificem non licet prætermittere, hominem grauem, summeq; literatum, multisq; honorum insignibus tam foris, quàm domi clarum, qui functus æquo in principem officio, matura ætate, multaque cum laude decessit. Plures supersunt huius gradus Pontifices *Ioānes Vhitus* & *Ouinus Oglethorpius*, ille Vintonienſis,

tonienſis, hic Carlelienſis, vterque multi officij & ingenuis moribus. Hic item ea obſeruantia, tamque ardenti in Principem ſtudio fuit, vt inungendæ conſecrandæque Maieſtatis ſuæ, tum, cum in templi Veſtmonaſterienſi coronata eſt, cura illi ſoli permiſſa ſit & conceſſa. *Thomas Thurlbius* & *Thomas Vatſonus* non omittendi, ille *Elienſis*, hic *Lincolnienſis* Pontifex, alter affabilior, alter moroſior, idemque adhuc viuus. Fuit & in hoc numero *D. Turberuilius* Exonienſis, ingenuus quidem magis quã literatus Pontifex, qui ad inflexam vixit ætatem in ſumma libertate, nec is magis quam ordinis ſui omnes, è quibus nemo capitalis eſt vnquam criminis factus reus, licet contra recentes legitimeque rogatas leges monarchiam Romani Pontificis ſimul omnes propugnarent & defenderent. *Ioannes Fecnamus* ijs adijciendus, Veſtmonaſterienſis Abbas, vir ad multos annos ſuauis & humanus. Aliquot etiam minorum graduum attexantur, *Ioannes Boxolus* Vindeſoriẽſis decanus, modeſtiſsimis & ſuauiſsimis moribus, multiſque literis tinctus. Paulinus itẽ Decanus *Henricus Colus*, vehemẽs magis quam moderatus, vnaq; *Tho. Rainoldus* nõ illiteratus ſané Exoniẽſis decanus. Omiſsis infinitis alijs, qui tũ illuſtribus defuncti eſſent in Eccleſia ſuis muneribus & dignitatibus, multamq; authoritatem collegif-

ſent, ſpreto item ab ijs per antegreſſam vitam omnem Romani Pontificis Principatu, quæ profitendi forma in *Mariano* regno cœpta eſt ab iis immutari, nullum tamen ijs eſt capitalis rei crimen obiectum, nec priuatis in rebus ſuis quicquam eſt imminutum, aut detractum. Exceptis ſolum Eccleſiaſticis functionibus atque dignitatibus, quas ex ſancitis & promulgatis regni legibus obire recuſarunt. Maxima item horum pars, nonnulliq́ue alij, recepti in certorum Pontificum familias, gratis alebantur & copioſè, ſummoq́ue cum ocio ac quietè animi vixerunt, tam ad deuitandos ſumptus, quam ad continuandum prioris vitæ genus & formam. Nec ea his indulgentia & liberalitas erepta prius eſt, quàm Bullæ Romanæ cœperunt publicum regni ſtatum diſturbare. Quibus, quoniam horum quidam acerbius ſe & paratius immiſcuerant, quàm vel expediebat Reip. vel locis ſuis conueniebat, ad magis firma & munita loca deportabantur, quo minus liceret tenebrionibus iſtis, & venenoſis emiſſarijs pro more ſuo decurrere, hominibus flagitioſis & notis, ſimulq́ue ad concitandos ciuiles tumultus deſcriptis, & ad immittendas in Rempublicam faces & tœdas conductis. De quibus ſanè periculis, Bullæ ipſæ eam injiciunt ſuſpicionem, vt planè dubitari poſſit, quanta hæc tandem cum miſericordia fiunt

unt, cum non modo in horum quenquam, vis fit multa intẽtata, ſed ne quæſtio quidẽ capitalis criminis vlla cuiquam obiecta, quo minus ad vltimas annorum metas perueniant, quas illis natura deſcripſerit, ſi quidem obſeruanter ſe geſſerint, & in officio permanſerint. Atque hoc in loco illud memorabile, nec obſeruatione indignum, Principes horum, maioremque numerum, potentiſsimi Regis, *Henrici* octaui, eiuſque filij *Eduardi* ſexti temporibus, vel concionando, vel ſcribendo, vel legendo, vel arguendo, vulgus plebemque inſtruxiſſe, non ſolum vt contemnerent hanc Pontificiam authoritatem, & ab illo dedecore ſe ſubtraherent, ſed & deteſtarentur etiam eandem & plané execrarentur. Ad quam etiam opinionem ſententiamque, cum voluntarijs ſacramentis, ſanctiſque fidei ſuæ ſponſionibus, ipſi ſe crebrò obſtrinxerant, tum inuictiſsimis ijs Regibus authores erant, vt erepto Pontifici Romano hoc Principatus & prærogatiuæ titulo, ipſi ſe in terris, proximè poſt Chriſtum, *Eccleſiæ capita*, ſcriptis & legibus ſuis, publicarent. Quem item prærogatiuæ titulum Auguſtiſsimam Principem noſtram ſibi aſſumpſiſſe, ab hoſte impudenter & falsò obijcitur: vt ex Curiatis legibus liquet, quas *Parlamẽtorũ acta*, vulgo dicimus, &, vt ab ipſo regni ini-

Iidem & recentes Pontificiæ Monarchiæ fautores, & acerrimi eiuſdem antea hoſtes, vt ex varijs eorum ſcriptis luculentè patet.

tio, in Maiestatis suæ stilo,, omissum esse constat. Quæ vt liquidius intelligantur,ad eorum vos libros & sermones refero, quos scripserũt multis voluminibus, qui & nunc extant, tam latina, quam nostrate lingua publicati, ad perpetuum eorum dedecus,& perennem infamiã, non modo ob variam multiplicemq; ipsorum in diuinis rebus inconstantiam, sed multò etiã magis, quod,quos ipsi erudierãt ad religionem, eos, acerbissimis pœnis, grauissimisque tormentis mulctarunt,vt, quo præcipiẽdo deduxerant, inde, frangendo potius, quam inflectendo,retraherent.O versutam & fallacem nocendi rationem, & ipsi in sanctum Spiritũ peccato feré parem.

Premulti ciues diuitijs & patrimonijs potentes,& Pontificiam religionẽ profitẽtes capitalibus criminibus prorsus intacti

Nec illud est minus perspicuum, multos, non initiatos, hoc est, laici ordinis, vt vulgo loquimur, possessionibus & fundis perdiuites, domi etiam & in municipijs suis illustres, veneficijs nescio quibus ad Pontificias partes attractos esse, cum eorum tamen nemo, ob tam robustam improbitatem, vel capitis, vel patrimonij,vel fortunarũ periculum vllum adierit. Quod satis est argumenti, non quæri religionis aut Pontificis causas, quibus puniretur rei, cum iam inde ab ipso Maiestatis suæ aditu in regnũ, his de causis nemo sit mortuus, licet ab aduersarijs secus multò publicetur. Cũ non

non minus & illud conſtet etiam, huius ordinis nonnullos ad Pontificias partes ita ſe inflexiſſe, vt non recuſent publice in conuenticulis, & aperte affirmare, Eccleſiæ totius, ſiue Principatum, ſiue Monarchiam, ſiue primatum, ſiue alio quouis nomine libet vti, vt nihil relinquatur erroris, vel ſuſpitionis in verbo, ſoli Pontifici Romano, per totum terrarum orbem, expreſſo Dei verbo attribui: illiq́ue Eccleſiaſticis in cauſis omnibus, iuriſdidictionem Eccleſiaſticam omnem ſoli permiſſam eſſe: itemq́ue Auguſtiſsimæ Reginæ minimè licere, in eos ciues, qui ſunt ordinis Eccleſiaſtici, hoc eſt, qui ſacris præſunt ſolemnibus, quoquo modô, iuriſdictionem ſuam Regalem vt exerceat. Quæ opiniones cum grauibus deuinciantur legum pœnis, authoreſq́ue earum varijs mulctis implicent, nihil tamen durius in hos hactenus conſultum eſt, neque quiſquam, his de cauſis, vllo eſt vel læſæ Maieſtatis crimine, vel capitis periculo irretitus: vt perſpicuè intelligi poſsit, ſi excutiantur crimina & iudicia eorum, qui nuper mortui ſunt, & iure cæſi, non eos cultus diuini, cæremoniarum, aut religionis reos factos eſſe, etſi nomen hoc pro tribunali ſæpius vrgebant, vt genus accuſationis immutarent, & ventos colligerent multitudinis, ſed hoc illis obiectum, in

Propter Pontificiam Monarchiam nemo capitalis criminis factus reus.

tentatum, & probatum esse, quod Pontificias Bullas, earumque sensum, animum, atq; sententiam, omni pro facultate sua, vbiuis defenderent ac tuerentur.

4. Proditionis capita.

Quorũ hoc quidẽ primum & venenosissimum caput est, Augustissimam nostram principem, regnorum suorum legitimã Reginam, non esse: crimen lesæ Maiestatis graue & luculentum. Deinde ciues suos omnes, ab omni obseruantia, obsequio, & fide aduersus Principem suam solutos & liberatos esse: peccatum priori par & æquale. Itemque impunitatem summam proponi ijs, qui à fide sua in Principem defecerint: scelus laté patens & prioribus æquum. Postremo, Pontificis Romani hostilem impressionem in Hyberniam, ab ijs esse probatam, ad eamque vim expediendam, cohortem quendam suum delectum esse, *Nicolaum Sanderum*, scolarem perditum, & improbum ciuem, perfugam & patriæ proditorem infestum, vnaque cum latronibus illis Romanis, arctissima societate coniunctum, Pontificio diplomate summa in gratia maximaq; in authoritate positum esse, aliàs tanquàm in proregis, aliàs in legati, aliàs in quæstoris loco. Idem etiam paulo anté quam Hyberniam peteret, in Monarchia sua glorioſé affirmat *Pij Quinti* fædam illam & pestiferam Bullam,

1
2
3
4

Pontificiæ Bullæ propugnatio, vt à Sandero susceptæ.

ritè

ritè, iuſtè & legitime, in Auguſtiſsimam perſcriptam & intortam eſſe. Itemque eiuſdem Bullæ authoritate, *Nicholaum Mortonum*, lacerum ſacrificulum, & turpem conſpiratorem, Roma demiſſum eſſe, in huius regni boreales partes, vt ad rebellionem excitaret plebem, & arma ciuilia moueret, quorum paulo poſt *Carolus Neuellius*, præcipuus dux & ſollicitator fuit.

Quibus poſitis & conſtitutis, aperté liquet, vtranque defectionem, tam Domi, quam in Hybernia, è Romanis eſſe Bullis natam. Quas quod tam perdite tuerentur quidam latrones, vireſque quibus poterant modis, deſperate eiſdem afferrent, propterea proditionis, ex vetuſtis Reip. legibus, rei facti, ſolum propter has labes & crimina, & iure ſunt condemnati, & iuſtę cæſi: quod fraudes in Reginam & Rempub. tam foris quam domi turpiter contraxiſſent, quod Pontificias Bullas, authoritatemque ſedis ſcelerate obuallaſſent, quod ciues à fide in Reginam & rempub. ad defectiones ſeditionesq; flagitioſe excitaſſent: ſubmotis prorſus, vt ſæpe iam dictum eſt, religionis & diuini cultus criminibus & quæſtionibus omnibus. Etſi nec illud inficiandum eſt, non raro hos, pro tribunali, & libenter in eum ſermone delapſos, de religione & ſacris, vt ali-

quid aſpergerent, eoque, vti paulo ante poſui, pro omni vi ſua incumberent, vt religionis, non læſæ Maieſtatis rei viderẽtur. A quo pulſi dolo & inuento, proditionis criminibus, ſecũda concione, & perpetuis orationibus ſunt accuſati, itidemque ex iuratorum ſacramentis condemnati, & ex iudicum ſententijs morte mulctati. Atque ex hoc notare libet, quantum inter veros Auguſtiſsimæ Reginæ proceſſus, & turpia aduerſariorum mẽdacia interſit, qui nihil magis inclament, quàm infinitos à nobis martyres trucidatos eſſe, quod in Chriſti fide & religione Catholica perſiſterent: cum liquidius multò illud conſtet, ſi martyres hos eſſe velint & ſtatuant, Romani Pontificis potius, quàm Chriſti martyres fuiſſe: hoc præſertim fixo & poſito, morti hos eſſe deſtinatos, quod Romano Pontifici, acerbiſsimo Reginæ noſtræ, & ditionum ſuarum omnium infeſtiſsimo hoſti, adhæreſcerent, eiuſque Bullas, diplomata, reliquaq; inſtrumenta, hoſtilibus cõſperſa & venenoſis in Principẽ dolis, ſanguine ſuo ſanciẽda cenſuerint. Iſtamq; eſſe mentem & ſententiam eorum, qui tam præfractè & obduratè tuentur Pontificiã authoritatem ex verbis ipſius Bullæ ſubtextis, & ex *Sanderi* teſtimonio conſtat perſpicuè. Bulla ſequitur eiſdem verbis quibus eſt Romæ deſcripta.

Luculentum argumentum propugnatores Bullæ Pontificiæ, reos proditionis eſſe.

Pius

PIVS Quintus, Pontifex Maximus, de Apostolicæ potestatis plenitudine, declarauit, Elizabetham, prætenso Regni iure, necnon omni & quocunque dominio, dignitate, priuilegioq; priuatam. Itémq; Proceres, subditos & populos dicti regni, ac cæteros omnes qui illi quomodocunque iurauerunt, à iuramento huiusmodi ac omni fidelitatis debito, perpetuò absolutos.

Et quæ in eandem sententiam sequuntur, multis sanè intextis minis & execrationibus, quibus inuoluerat vniuersos, si qui Maiestatis suæ imperio, suísue legibus se subiecerant: vt vel hinc liquidò cõstet, Bullam illam Pontificiam, vnaque *Sanderi* legationem omnem, apertam ex proposito instituisse ciuium defectionem. Qua de re ipsum, si placet, *Sanderum* tædam illam totius incendij Hibernici, his ipsis verbis in visibilis Ecclesię suæ Monarchia loquentem audiamus.

PIus Quintus, Pontifex Maximus, Anno Domini 1569. Reuerendum presbyterum Nicolaum Mortonum Anglum in Angliam misit, vt certis illustribus viris, authoritate Apostolica denunciaret, Elizabetham, quæ tunc rerum potiebatur, hæreticam esse: ob eámque causam, omni Dominio & potestate excidisse, impunéque ab illis, velut Ethnicam haberi posse, nec eos illius legibus aut mandatis deinceps obedire cogi.

Nicolai Mortoni myftica legatio suscipitur, vt seditiones boreales concitaret.

Ecce vobis legationem à Pontificis Romani Sanctitate ad ſerendas ſeditiones ciuiles miſſam, legato deliro & lacero ſacrificulo, cũ arcu & fuſcina tanquam Martis flamine. Cui hoc negotium datum eſt, vti ſæpe gloriari ſolebat, vt Northumbrienſem & Veſtmerlandiẽſem Herôes, primæ illius defectionis principes, ad arma in patriam ferenda incitaret, in eoque, mea quidem opinione, hoc eſt etiam inſtitutum, vt patriam hoſti relinqueret diripiendam. O fœdam legationem! O ſceleratа religionis fœdera! Progreditur etiam longius *Sanderus*, intexto legationis ſucceſſu, cuius euentum, non dubito quin intimis ſenſibus multum exhorruerit. Ipſum legite *Sanderum*.

Qua denunciatione, multi nobiles viri adducti ſunt, vt de fratribus liberandis cogitare auderent. Ac ſperabant illi quidem, Catholicos omnes ſummis viribus affuturos eſſe: verùm, etſi aliter quàm illi expectabant res euenit, quia Catholici omnes, nondum probè cognouerant, Elizabetham Hereticam eſſe declaratam: tamen laudanda illorum Nobilium conſilia erant.

Facinus hoc quod *Sanderus* ita nobilitat, borealium ciuium eſt defectio. Nobiles ipſi, Northumbrienſis & Veſtmerlandienſis ſunt Herôes. Omiſſus euentus, quod ſuperati ſunt hoſtes & perduelles, victoria, pro Dei ſumma clementia

clementia noſtris tradita. Cauſa verò cur hoſtis ſit fuſus, ex eo maximè eſt nata, quod certiores ſimul non ſunt facti Catholici proditores, Reginam noſtram hæreticam, vt appellant, Romæ denuntiatam eſſe. Qui docendi inſtruendique error, vt viribus interim & numero fortiores, de reliquo, rebelles fierent, artificiosè corrigitur, & expletur poſtea, immiſſis occultè in regni latebras, tot *Ieſuitarum* & *Seminariorum* cohortibus, quorũ hoc opus & negotium ſummum erat, vt omnibus, quibuſcum agere tuto liceret, inculcarent, Reginam eiectam ex Eccleſia, hereticam Romæ habitam, ibidemque illi à ſacris omnibus interdictum. Supplementum, ad reçolligendas amiſſas vires rebellium acutè excogitatum.

Licetque in hanc ſententiam, & in hæc verba ſcripſerit *Sanderus*, probabiliter tamen, vt quidem arbitrantur, afferri poteſt, à neceſſariis & fautoribus *Roberti Perſonÿ* qui adhuc latet in latibulo ſuo, vt fœdi aliquid expediat, & ab *Edmundi Campiani* familiaribus, qui extractus ex antro ſuo, tanquam perſonatus ganeo veſte nitens & olens vnguenta, deprehenſis ſceleribus, nuper eſt mortuus, has fraudes & flagitioſas patriæ proditiones, in *Sanderi* ſola perſona conſiſtere, nec in alium quenquam quoquo modo transferẽdas eſſe. Vt planũ igi-

Vt Sanderus, ſic Perſonus & Campianus eodem Bullæ probandæ crimine comprehendentur.

tur fiat, his etiã duobus *Ieſuitis* ſeparatã quandam & propriam autoritatem datam eſſe, qua Bullam ipſam quàm poſſent diligentiſsimè ſtabilirent, ſuumque ad exitum, quantum in illis eſt, perferrent, ex actis, facultatibus, & inſtrumẽtis ſubtextis, quæ occultata in veſtibus comitis cuiuſdam ſui, eruebantur ex eiſdem, paulo poſt *Campiani* mortem, eluceſcit, qui ſimiliter cũ ea ipſa quæſtione grauiter vrgeretur, non multum ante mortis diem, admodum pernegabat, vt quantum huiuſmodi pſeudomartyribus fidei tribuendum ſit, ex rebus geſtis & vitæ moribus poſsit intelligi.

FACVLTATES CONCESSAE PP. Roberto Perſonio & Edmundo Campiano, pro Anglia, die 14. Aprilis. 1580.

Perſono & Campiano cõceſſæ facultates, à Gregorio. 13. anno. 1580.

PEtatur à ſummo Domino noſtro; explicatio Bullæ declaratoriæ per Pium Quintum, contra Elizabetham & ei adhærentes, quam Catholici cupiunt intelligi hoc modo, vt obliget ſemper illam & Hæreticos, Catholicos verò nullo modo, rebus ſic ſtantibus, ſed tumdemum, quando publica eiuſdem Bullæ executio fieri poterit.

Plurimę inſequuntur aliæ facultates poſtulatæ ab iis, quibus ampliore poteſtate donati ſunt, quas nihil attinet hoc in loco attexere, tantum

tantum ea appendam quæ in calce adiecta Pontificij rescripti summam continent his ipsis verbis.

Has prædictas gratias, cõcessit summus Pontifex, patri Roberto Personio, & Edmundo Campiano in Angliam profecturis, die 14. Aprilis. 1580. præsente patre Oliuerio Manarco assistente.

Qua munitus authoritate in Angliam Campianus venerit.

Ex quibus perspicuum fit, quem nuncium *Campianus* in regnum attulerit, quamque authoritatem à Pontifice ceperit interpretandæ in Principem nostram Bullæ, quantumcunque hæc mysteria reticenda censuerit, fortassis, ne disciplinæ suæ prima dogmata moriens prodidisse videretur. Cumque hoc vnà constet, duos illos *Iesuitas*, *Personium* & *Campianum*, non solum à Pontifice coniunctim petiuisse, vt ipse de Bulla ipsa quid sentiret exponeret, sed adiunxisse etiam, ipsi vnà cum cæteris Catholicis, quemadmodum explicari in Regiam Maiestatem eandem cuperent, vt planius tamen fiat, quàm liberé & largé, *Iesuitis*, *Seminarijs*, & Catholicis omnibus permissum sit, tam in Principem ipsam, quam in ciues regni probatos interpretari, vtcunque hæc dissimulent, ex *Harti* cuiusdam oratione, qui & ex eadem societate fuit, & cum *Campiano* addictus morti adhuc viuit, perspicué intelli-

gitur, qui pridie Cal. Ianuar. inter alia nonnulla ingenuè & sponte sua, hæc quæ sequuntur confessus est.

Harti confessio de enterpretãda Pij quinti Bullam.

Bulla Pij Quinti in Regiam Maiestatem emissa, ab huius regni Catholicis, pro firma, rata, & legitima habetur, suaque in vi permanet. & propterea per eandem ciuuis Reipub. ciui licet, vt à fide in Principem & Patriam, cum volet, desistat, licet in quibusdam, quæ propriè ciues attingunt, immutetur nonnihil. Nam cum in ea Bulla præceptum sit omnibus, sine exceptione, ne quis eorum Reginæ pareat, qua de Ecclesia electa & regno illi erepto, omnes obedienter illi parentes in easdem execrationis pœnas cum Principe ipsa labuntur, quod videtur dupliciter ciui periculosum esse (nam si parent Principi, à Pontifice execratio imminet, si non parent, ab illa periculum nascitur, vt vtrinque ciuis irretitus sit) Pontifex igitur, hoc periculum Bullæ sustulit, permisso, vt ciues omnes liberè & impunè Principi pareant, restrictè tamen, hoc q; assumpto, vt hanc, cum velit, sententiam reuocet.

Omnes famosos libellos in Reginę & regni maiestatẽ mendacissimos esse.

In ijs igitur quæ diximus, vt certi aliquid statuatur, ne in immensum crescat volumen, inter omnes tam foris quam domi constat, famosos illos & venenosos libellos, qui tot in lin-

linguis ſunt perſcripti, ſimulque conuitia illa, quæ in Regum & nationum aures quotidie infunduntur, hoc eſt, infinitam multitudinem ciuium, ob religionem ſolam, verumque Dei cultum, non propter proditiones, aut turpes conſpirationes necatam eſſe, ex eodem vanitatis, & impudentiæ fonte fluxiſſe, & ad defendenda hæc proditionum ſcelera, liquido tendere. Vtque omnia luctuoſius anté oculos proponantur, nomina ſuorum cæſorum, numerumque libris ſuis intexunt, qui coniecti in vnum cumulum, in viginti quinque integris annis, numerum ſexagenarium vix attingunt. Obliti prorſus, vel impié potius ſpernentes, Reginæ *Mariæ* temporibus, quæ annos quinque vel paulo plus compleuerat, quam tetré, quamque crudeliter, ſeuitum ſit, quantaque virorum, mulierum, puellarum, & adoleſcentum, tam fame quam alijs tormentis, facta ſit ſtrages, vt quadringentiſsimum numerum facile ſuperarint: omiſsis ijs, qui in cuſtodijs, & carceribus barbaré ſunt trucidati. Quorum quidem viginti, ex Pontificibus, præſidibus, & magiſtratibus Eccleſiaſticis turpiter erant flammis cremati: mulierum item ſexaginta: adoleſcentum, puerorum, quadraginta. Atque hoc in loco, illud nulla obli-

Quantum diſcrimen inter hos paucos, & tam infinitam Mariani regni ſtragem.

uione ſepeliendum, ſed cum flagitioſiſsimæ feritatis dedecore ad omnem poſteritatem tranſmittendum, mulieri cuidam prægnanti in ignis pyro poſitæ excidiſſe ex vtero infantulum, viuum, & ſpirantem, eumque carnificis cuiuſdam cuſpide confoſſum, & transfixum, in ignem denuo proiectum, & contortum, vnà cum miſerrima matre exuſtum eſſe. Execrabilia crudelitatis exempla, & maximè tyrannicis temporibus, nunquam exequata. Atque horum quidem iuniores qui tormenta illa pertulerunt, tam viri, quàm fœminæ, quod non indignè à Chriſtiano obſeruandum eſt, nullam vnquam, ſiue in baptiſmo, ſiue in confirmatione, religionem aliam profeſsi ſunt, neque auditu quidē aliam vllam perceperant, vel quoquo modo guſtauerant, quàm hanc eandem, quam in igne & flammis teſtificantes, tanquam veri martyres, de vita diſceſſerunt. Rem magis in ſimplicitate Chriſtiani animi, non in eloquentiæ nitore deplorandam, quam neces perpaucorum rebellium, qui tamen ijdem ſi triginta expleuerunt annos, eandem, tam in baptiſmo, quam in reliqua ætate, religionem profeſsi ſunt & continuabant, quam nunc tam improbè tamque acerbè impugnant. Sunt & alia quędam in quibus *Mariani* regni martyres, ab ijs veſtris paululum diſcrepant

discrepant. Etsi enim illi, in ijs religionum opinionibus perstiterunt, quas in baptismo profitebantur, & ad quas reliquam per ætatem suam instituebantur, morientes tamen nec Principis authoritatem oppugnabant, nec ejusdem hostibus vnquam adhæserunt, nec ciuiles motus, conspirationes, vel arma mouerunt, nec seditionum semina spargebant, nec a Principis fide & obseruantia quenquam deduxerunt, quæ quidem omnia contrariò fiunt ab ijs, qui cum Pontificatu Romano, tanquam satellites in ipsius fidem iurati, se cõiunxerunt.

Quocirca, si æquis hæc lancibus perpendantur, minimé dubium erit, quin omnes boni ciues iam anteà intelligant, si qui autem mobiliores sunt aut inconstantiores, nec prorsus tamen adhuc à seditiosis abducti, posthac sint magis intellecturi, quam turpé sit, à vero Dei timore & cultu, ad quisquilias & feres superstitionis deduci. Nec verò illud, vt spero, dubium esse debet, quin omnes nationes & gentes, in primisque Imperatores, Reges & potestates omnes, qui stabilitis sibi regnis & principatibus suis, siue per successionem, siue per populi assensum, hoc perspecto & cognito quod est antè oculos, omnia nuper Reginam nostram eo animo suscepisse,

Admonitio ad omnes trãsmarinos Principes.

vt se regnumque suum, contra vim & impetũ tueretur, arma & ferrum hostibus extorqueret, ciuiles conspirationes supprimeret, à perditis & domesticis latronibus excitatas: quin de Reginæ nostræ rebus gestis, tanquam suis, iudicium ferentes, adiudicaturi sint, nec conuenire quoquo modo Pontifici Romano, qui Diui *Petri* se in eo Pontificatu hæreditarium successorem nominat, siue producat fines suos longius, & totius sibi Christianę Ecclesiæ monarchiam assumat, nec in Pontificiam vllam authoritatem, fastum hunc intollerabilem cadere, primum, vt per Bullas suas in rebellium fauorem perscriptas, cuiquã consecrato principi regnũ eripiat, tũ, vt ciues in Reges suos armet, vt ab impietatis & violatæ iam fidei periculis eosdem statim liberet, vt fideles ciues, quod principibus suis pareant, de Ecclesia exturbet, & tanquam membra corrupta abscindat, postremò, vt ipse, in eos Principes, qui impetum nullum vnquam in illum fecerant, legiones & exercitus suos ducat, & in acie exponat. Hæc autem tragica si potestati huius tyranni permitterentur, tum & illa sequerentur confestim, vt nullum imperium, regnum, principatus, prouincia, vrbs, vel pagus etiam, à quoquam possessore diutius teneretur, quàm idem hic, homo terrenus, ossibus, neruis, &

carne

carne coniunctus, ſedens tamen, vt intonat, in *Petri Sella*, tanquam Epicureus Deus, pro arbitratu ſuo, abſque vllo diuino vel humano mandato, eadem cenſuerit ab ijſdem eſſe poſſidenda. Quam authoritatem, Dominus Dominorum, Dei viuentis filius Chriſtus Ieſus, ſolus redemptor & ſeruator noſter, ſolumque Eccleſiæ ſuæ caput, dum humanitùs in terris viueret, vt liquet ex Scriptura, vnquam ſibi aſſumpſit. Nec verò à Diui Petri, à quo locum & authoritatem ſuam deducit, ſcriptis, ritibus, vel conſuetudinibus, eiuſmodi quid expiſcari licet: ne à Diuo Paulo quidē, qui tamē Gētium erat Apoſtolus, huiuſmodi quid exempli proferri poteſt. Sed contra potius multò, tam in Euangelij hiſtoria, & Apoſtolorum ſcriptis, rebuſque geſtis, quam in reliquis diuini verbi libris & partibus eluceſcit perſpicuè, obſeruātiam fidemque aduerſus legitimos Principes præceptam ſemper eſſe, imprimiſque in Reges nominatim, idque tam præciſe, vt nullus planè ſit exceptus, ſicut Paulus ad Romanos ipſos luculentis verbis exprimit. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſit ſubdita*. Cui præcepto, Diuus Chryſoſtomus Conſtantinopolitanus Pontifex, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Monachos & religioſos omnes deuincit ſine exceptione, ſententiæ vero &

Pontificatus Romani Monarchia, nec per Chriſtum nec Apoſtolos Petrum aut Paulum confirmata.

Rom. 13. 1.

opinionis Diui Petri à quo Pontifices Romani authoritatem ſuam deriuant, quod poteſt grauius teſtimonium, aut quæ coniũctior interpretatio fieri, quam ipſe verbis ſuis, tan-
1. Pet. 2. 13. quam publico preconio, edicit. *Proinde ſubiecti eſtote cuiuis humanæ traditioni propter Dominum, ſiue Regi, vt qui ſuperemineat, ſiue præſidibus ab eo miſſis.* A quibus Apoſtolorũ principibus, inprimiſque ex eo, quod Chriſtus perennis Dei filius, redemptor noſter ſolus, & omnis veritatis fundamentum, eidem Petro & ſocijs ſuis Apoſtolis diuinitùs inſpi-
Matt. 10. 25. rauit, *Reges Gentium dominantur, vos autem non ſic*, perdiſcant iſti Pontifices odio-
Luc. 22. 25. ſiſsimi, hunc faſtum, & inſolentem iuriſdictionem, quam in Monarchas Reges & Principes vſurpant, pié deponere, ſimulque paſtoricio ſuo munere in paſcendis ouibus crebrius, & diligentius defungi: ſicut Petro ipſo ter in ictu oculi præceptum eſt. Paſce oues meas, vnáque præcisè eidem petro iniunctum, ne gladio quoquo modo vteretur, vt ex illo loco perſpicuè liquet, *Conuerte*
Matt. 26. 52. *gladium tuum in locum ſuum*, ſeu *mitte gladium tuum in vaginam.*

Quæ diſciplinæ & præceptorum forma, multa ſecula poſt Chriſti & Apoſtolorum mortes & ſepulturas, à multis Romanis Pontificibus

tificibus pijs & sanctis retenta est, aucta, & cõmunita. Qui sacratam Christi doctrinam, piamque Apostolorum simplicitatem imitantes, vitam in ijs ipsis tuendis, tanquam martyres pij, reliquerunt, plusque in Ecclesiam fructus attulerunt, magisque fines eiusdem & terminos vel centum annis extenderunt, quam ij procerum illorum simplicium glorioſi posteri, execrationibus, gladijs, & armis, vel quingentis annis prodesse potuerunt. Qui mos, à pijs illis Pontificibus retentus & continuatus, ad *Hildebrandi* tempora viguit, *Gregorium* septimum, qui anno 1074. vixerat, primusque tyrannicam hanc Pontificij loci in principes iurisdictionem, sibi arrogabat. In quam eandem *Pius Quintus* recens ab hac ætate furiosè irruit, ab eiusq; exemplo *Gregorius* decimus tertius in eandem inuasit, vt exempli fortasis nescio quid relinqueret. Cum enim *Gregorius* septimus anno. 1074. vel non multò secus, sumpserat sibi admodum insolenter, vt *Henrico.4.* potentissimo tum Imperatori, Monarchiã & imperium eriperet, idem nunc, vt videtur, imitatur *Gregorius* decimus tertius, dum parat, & molitur quàm simillimam fraudem, & vim, in *Henrici.* 8. potentissimi Regis hęredem & filiam *Elizabetham*, Reginam nostram, & virginem, quæ tamen proximè,

Hildebrandus primus mouet arma contra Imperatorem.

& solum à Deo, regna sua, & ditiones tenet, iure, & conditione vt quam optima. Vt autem in hoc *Henrici* exemplo, principibus omnibus, eorumque consiliarijs, perspicuè elucescat, quos eidem *Henrico* successus, pro clemẽtia sua, Deus dederit, quantumque eundem, contra arrogantissimum *Hildebrandum*, adiuuerit & auxerit, est in historia. Quo tempore, *Hildebrandus*, hoc est, *Gregorius* septimus, conabatur hanc *Henrico* maculam & iniuriam inurere, eumque de imperio deijcere, Rodolphum eodem tempore fuisse quendam, perhonoratum & nobilem, *Renfeldiensem*, vt fertur, Herôem, qui ab eodem *Hildebrando* incitatus, vt in imperium inuaderet, titulumque & nomen imperatorium vsurparet, idem, non multo post, victus ab *Henrico* isto Imperatore, fusis & concisis copijs suis, abscissaque dextra dũ pugnaret acrius, quem casum peracerbé tulerat, multaque in Pontifices quosdam quæstus esset, qui Pontificis Romani nomine, id illi consilij dederant, vt arma contra *Henricum* legitimum suum Imperatorem ferret, adiecit in extremo, dextram quæ perierat, eandem illam esse, qua imperatori suo inuiolatam fidem & obseruantiam sposponderat, eoque, quod defecisset à fide sua, hanc in se vindictam, iustè ab immortali Deo repetitam esse.

Cœlestis Dei iudicium contra Imperatorem falso & iniustè à Põtifice Romano institutum anno.1074.

se. Simulque in Italiæ finibus conuocato consilio publico, effecit idem *Henricus*, vt *Gregorius*, de Pontificatu suo totoque Pontificali instrumento, deponeretur: ad exemplum *Othonis* Imperatoris, qui *Ioannem* Romanum Pontificem, propter multas fœditates & crimina sua, Pontificatu suo paulò anteà eiecerat. Idemque consilium iam antea secutus est Imperator *Henricus* tertius, non multum ab anno. 1047. deiectis perexiguo tempore, & omni Pontificia authoritate muletatis, tribus Pontificibus *Siluestro, Benedicto,* & *Gregorio* sexto, quod auarè nimis, mundanis se negotijs immiscuerant, in Regesq; & principes extraordinaria authoritate abuterentur. Multa possum exempla huic loco aspergere recentioris memoriæ, vt Imperatoris ipsius Maiestati, & sacrati Imperij principibus, expressis vestigijs eluceseat, sicut *Henrici* quinti, sicut *Frederici* primi, sicut *Frederici* secundi, sicut *Ludouici Bauarij*, qui cum Imperatores omnes essent, & summis dignitatū titulis excellerent, à Pontificia tamen hac sentina, non solū Bullis, & scitis suis venenosis, sed etiã armis & ferro oppressi, & ad summas calamitates præcipitati, maximis sunt, in extremo, ruinis inuoluti. Nonnulloque alios Christiani territorij, Reges & multos Potentes, per

Idem Hildebrãdus primus Gregorius. 7. de sede Pontificali deiectus per Henricum. 4.

Henricus. 5.
Fredericus. 1.
Fredericus. 2.
Ludouicus Bauaricus Imperatores.

multa ſecula regijs è ſtirpibus natos, pari iniuria perſequentes, pares ad exitus perduxerunt. E quibus ipſis intelligi debet, hanc immenſam & infinitam tyrãnidem Pontificum Romanorum, appetentium fœdam in Reges & principes inuadendi, ſummamque in regnis & principatibus eripiendis, libidinem, ortam è tetra illa bellua *Hildebrando*, ſine vlla ſacrorum teſtamentorum exemplo, manaſſe poſtea latius, nec adhuc intra fines & terminos ſuos conſiſtere. Exitus tamen horum & euẽtus, ſi quales fuerint, conſideremus, & præteritis temporibus intelligemus execrabiles fuiſſe, & propterea nec dubitandum quidem eſſe, quin ſimiles expectemus in futuris.

Quæ cum ita ſint, quam optabile eſt, ſi alij Chriſtiani territorij Reges & principes, his tyrannicis viribus læſi, æquum eſſe ſtatuant, vt contra feros hos impetus, ipſi ſe, ditiones & regna ſua tueantur, & in eodem exemplo, eandem Reginæ noſtræ libertatẽ poteſtatemque permittant, non modo licitis modis tuendi ſui, ſed & Imperatoriæ etiam Maieſtatis, cæterorumq; ſacrati Imperij principum, Regum item & nationum, præſidia, vires et opes implorandi, vt tam luctuoſam cauſam, contra tantam barbariem, coniunctis viribus defendant potius, quam vel deſerendam à ſe, vel à

Pontifice

Pontifice Romano impugnandam ſtatuant. In primiſq; cum Regina ſit inuncta, à ciuibus accepta, conſecrata & coronata, ipſam tenens Regiam ſedem, hæres magni & inuicti regis, regiũ etiam nomen & ſellã multos per annos teneat, eaq; æquitate ciuibus populis & nationibus multis imperet, vt de cœlo demiſſam ſibi ad regendum diuinam Principem exiſtiment, & propterea eo cultu honorent, eaque in pace & obſeruantia viuant, excepta tamen fece illa & ſentina perpaucorum latronum, in quorũ memoriã tam ſæpe incurro, qua etiam ſcabie & alia ſunt regna infecta permulta, vt nihil videatur ad tam diuinã fœlicitatem addi poſſe. Quod xxv. annos integros cõtinuatũ, ac à tranſmarinis interim & hoſpitibus multis animaduerſum, eoq; ipſo paulò ſit inter nos illuſtrius, ſic vt maximi Chriſtiani Reges nullã ſibi factam iniuriam putent, ſi fortunæ eorum cum eiuſdem fœlicitate comparentur, quidam etiam rectè ſecũ actum exiſtiment, ſi inferiore etiam in gradu collocentur: quid eſt, quid eſt inquam, cur omnes poteſtates Chriſtianę non modo tuendũ ſibi in Regina noſtra tã expreſſum diuini iudicij exemplũ, ſed & ſuſpiciẽdũ quodãmodo & eximio quodã cultu venerandũ ſibi proponant? Licetq; recentibus ijs temporibus permiſſum ſit Pontificibus Romanis,

Quod externis principibus in ſuis regnis licet, idẽ & Reginæ Angliæ in ſuis finibus.

tam ab Imperatore ipso, in regnis & ditionibus suis, quàm à Galliæ & Hispaniæ regibus, in suis vicissim finibus, vt extraordinariam hanc & barbaram planè iurisdictionem Pontificum, modũ tenus & quandam ad formam, retineant. In quo tamen ipso, permulti Christiani principes ab ijs Regibus hodie dissentiunt, quem item fastum, *Gregorius* Magnus, eiusq; ipsius sedi Pontifex, & contempsit multum, & titulum ipsum, tãquam impium, plenũ sceleris, certumque Antichristi præmunciũ esse dixit: illud tamen, tam in ijs regnis quæ paulò antè nominauimus, quam in nostro, cæterisque Christiani soli fere omnibus, exploratissimum est, pervetustis legibus, institutis, scitis & sanctionibus pragmaticis, tam in Hispania, quam in Gallia, hanc Pontificiam authoritatem nõ modo crebro impugnatam, sed & radicitùs euulsam esse: campus magnus & largus, in quo Iurisperiti omnium nationũ liberè excurrant & ingenia sua multum exerceant.

Pontificatus vniuersalis, titulus, verus Antichristi præmunciũ.

Nec verò multum intererit, vt vt Pontificij iurisperiti, quos Canonistas appellamus, propugnatores illius sedis acerrimi, de hoc genere toto Bullarum execrationum, & reliqua hac siue mercatura, siue proluuiè statuant, aut quę simplicium animis tonitrua ad confirmandas

has

has nugas immittant, cum Imperatores veteres, Reges & Poteſtates omnes, in ijs rebus, quæ poſſeſsiones, hæreditates, fundos vel iuriſdictionem minimam ſuam attingunt, licet eædem in litibus paruarum ciuitatum nonnũquam & pagorum, aut fortaſsis in diſponendis Pontificatibus & Monaſterijs verſarentur, nihil tamen harum nugarum extimeſcebant vnquam, nec in tuendis bonis & fortunis ſuis, vnquam recuſabant, contra hos Pontificios impetus, ſe, vireſque ſuas libenter & facilè opponere, & ſine labe conſcientiæ & ſine ſtatus ſui metu. Hiſtoria plena eſt exemplis, maximæque in hoc genere abundat Gallia. In noſtris item publicis tabulis apertum eſt, Reges & proceres regni noſtri, cruentam hanc Pontificiam authoritatem, acerbiſsimis pœnis, tam ſæpè, tam facilè, & tam fortiter, non ſolum deiunxiſſe, ſed etiam repreſsiſſe, vt genere ipſo pœnæ, quæ ſiue peculatus, ſiue bonorum direptio & publicatio dicitur, quod eam habet vim vt rectè ſic appellari poſsit, quod barbaro nomine *Præmunire* dicitur, omnes illæ greges comitatus Pontificij, præſules dico, antiſtites, & initiatos omnes, intimis in animis & ſenſibus ſuis exterrerẽtur, vt in recenti exemplo Cardinalis *Thomæ Volſeij* liquido eluceſcit. Sed quid opus eſt vetuſtioribus, cum re-

cente memoria,& hac ætate noſtra conſtet,potentiſsimum Imperatorem *Carolum* quintum, *Philippi* Regis qui nunc viuit patrem, exercitus & ſigna ſua conuexiſſe Romam, eamque foſſa & vallo ſepiſſe, & diripuiſſe in extremo, ſpretis & neglectis Pontificijs Bullis & execrationibus omnibus, factis item captiuis *Clemente* ipſo, qui erat Pontifex maximus, & è Cardinalium comitatu triginta tribus, omnibus in arce Adriana captis & in cuſtodia mẽſes ſeptem retentis, donec facta pactione, maximis & innumerabilibus ſummis ab Herôe *Hugone Monſtadiẽſe* nobile Hiſpano, & *Marchione Guaſtonenſe* redempti, ad priſtinam libertatem reſtituti ſint. *Clementi* Pontifici maximo redemptio. 400000. ducatorum aureorum vel paulò potius ſupra illam ſummam impoſita. Cardinalibus, amplior aliquanto iniecta pecuniæ ſolutio. Cum ij etiam ipſi captiui,in eadem arce Adriana non multò antè obſiderentur à vicinis & eius territorij proximis Colonienſibus, eoque perducti, vt omnibus Colonienſium poſtulatis & mandatis aſſentirentur. Quid de Gallorum Rege recentis memoriæ *Henrico* ſecundo claro & potente principe ſentiendum eſt, huiuſce Regis *Henrici* qui nunc viuit patre? Num Bullas vel gladios Põtificios extimuit? Cui orta cum Pontifice

Roma direpta.

Captiuus Põtifex Romanus cum Cardinalium Collegio.1527.

Henrici ſecũdi Gallorum Regis in Romanum Pontificem edicta. 1550.

Pontifice controuersia, quòd in quasdam immunitates & libertates Regias pro more suo, Pōtifex inuaserat, non solum animosè & Regiè Pontifici restitit, edictis, decretis & legibus multis in eam sententiam promulgatis, sed fructus etiam Pontificios annuos, qui in Gallicis finibus colligebantur, inuito Ioue & Mercurio, admodum cōminuit. Quid *Philippus* Hispaniæ Rex, qui nunc regnat, quo in Pontificē animo fuit tum, cum misso in Italię fines exercitu, quem Dux Albanensis eò cōportabat, depopulatis agris, expilatis ciuibus, cæsis item multis, defotmatis hortis & pomarijs, exustis circa vrbem amœnis & delicatis ædificijs, vastitatem quandam omnibus rebus afferret, vrbemq; ipsam vallo & fossa cingeret, nonne sustulit omnē dubitandi locū, quàm nihili Pontificiam authoritatem, quam nihili quisquilias Romanas faceret? Nōne terroris plus incussit breui tēpore Pontifici, quam omnes Bullæ & execrationes longo poterant repellere? Itidēq; *Maria* Regina, Augustiss. principis nostræ nuper defuncta soror, nonne idem exemplum in eūdem Pontificiū fastum secuta est? Quæ cum intelligeret Pontificem Romanū in consobrinum *suū Reginaldū Polū*, Cardinalē, paulò infensiorem esse, ob eamque causam ad minuendam *Poli* authoritatem, & ad inurendam exi-

Dux Albanensis Pontificem Romanum & vrbem Hispanicis copijs obsidet.

Pontifex Romanus à Regina Maria & Cardinale Polo oppugnatus.

ſtimationi illius maculam aliquam, *Petôum* quendam feſtiui ingenij fratrem obſeruantem, in Cardinalium Collegium cooptaſſet, quem Cardinali *Polo* in hoc regno opponeret, & propterea vt omnia maturarentur ad exitum, nuncium cum purpureo galero & cæteris inſignibus nouę dignitatis Roma demiſerat, vt ad *Petôum* quam primum tranſportarentur, quid tandem ijs cæremonijs, & tanto apparatu aſſecutus Pōtifex eſt? Nonne Regina facta de hoc apparatu certior, conuocatis ſtatim Proceribus, conſiliarijs & iudicibus, mandauit vt libri legum aperirentur, ex eiſq; quod maximè conduceret ſuæ Maieſtati & reipub. id vt ſine mora expediretur? Quo facto tranſmiſit Caletum, qui mandarent Romano nuncio, ne in regni fines accederet, neque Angliam verſus è Caleto moueret pedē. Cardinalis *Polus*, cum omnia tamen adhuc ſtomacharetur Pontifex Romanus, ac nubes & tonitrua minitaretur, ſpretis omnino iſtis quiſquilijs in ſella ſua quicuit. *Petôus* item pro more ſuo decurrit vrbis plateas ſine galero de quo tam acerbe pugnatū eſt, vt egens fratet & quibus poterat ſtipem excutiens: animoſa contra Pontificem in Regina impugnatio, eaq; de tā abiecta galeri lite cum tanto Pontifice ſuſcepta. In quo ipſo, maximū Regem Auum ſuum, *Henricum* 7. Regi-

Petôus frater mendicans.

na

na imitata est,qui cum controuersiam quandã cum Pontifice aluminearn haberet, nõ minus prudenter obtinuit eandem contra Pontificẽ, quàm constanter & grauiter retinuit. Vt facilè possit intelligi principes quosdam cum hęc ferant Pontificia onera, vsque eò tamen & hoc quidem in genere certosque ad vsus ferre, si quidem hæc eadem vel prosint sibi regnisque suis, vel certè si nihil obsint. Eò vero si Põtificius fastus, vel auaritia processerit, vt vel infundos cuiusquã principis irruant,agros,territoria imminuant, vel seditiosos ciues in cosdẽ principes arment,vel quoque modo animent, tum quidẽ omnia illa insignia Pontificia, Bullæ,execrationes,Ecclesiasticæ sententiæ,maximéq; solennia, vt appellamus, illa *Anathematica*,*Petri* claues,& duplici acie bipennis,nimbique illi caliginosi omnes, qui Pontificia fulmina & tonitrua minantur,hęc inquã omnia, tantum ad tuendas Pontificias iniurias valẽt, quantũ in vnoquoque principe vel virium est, vel animi, hoc est,nõ permissurum principem quenquam,quantũ quidem in se est,quin hanc à se quàm longissime pellendam maculam,& labem esse statuat.

Christiani principes nõ ferũt Pontificẽ Romanum hæreditates suas inuertere,licet permittant aliquãdo in ciues suos authoritatem iurisdictionis suæ exercere.

Nunc verò cum hic idem Pontifex pro facultate & impetu suo omni conatus sit, quod innotescit omnibus, Reginã nostram è regnis

ſuis deijcere, deturbare, ijſdēq; iniurioſiſsimè ſpoliare, ciues ab illius fide & obſeruantia abducere, ſeditiones perditas in eiſdē regnis ſpargere, itemq; incenſis noſtri populi animis, militem ſuum tam armis, quàm reliquo militari inſtrumento omni inſtructum, in fines regni noſtri immiſerit, vt hoſtiles illius ſpiritus & impetus vndique eluceſcerent, poterit ne hic idē *Gregorius*, vel poſteritatis ſuæ quiſquā, tam temerè ſperare, vt Auguſtiſs. Princeps confirmata ſtabilitaque in Angliæ & Hiberniæ regnis, tot ijſdem regnis annos perfruens, quot quatuor ſimul Pontifices Romani vix cōpleuerint, tanto etiam ciuium ſtudio, amore, viribus, ac fide cōmunita, nullam item ſuperiorem poteſtatem ijs in regnis vllam agnoſcens, niſi præpotētem ſolam æterni Dei dextram, poterit ne, inquam, quiſquam Pōtifex ſperare, vt in hac omniū rerum affluentia recuſet vel timeat Regina noſtra, hos conatus Pontificios, vel legibus ſuis, vel ferro etiam ſi erit opus, diſturbare ac euertere, eiuſque milites qui poſſeſsiones & agros noſtros populantur, vel gladio vel Martis alea trucidare, vel ciues ſuos qui à ſua fide ad Pōtificiam defecerint, pro regni more ex publicis legibus mulctare? Nec verò illud dubium eſſe debet, vt vt hic Romanus Deus, ſummo in ocio & ſacrata in ſella ſedens Romæ,

ÆEquum eſt vt Regina noſtra Pontificiā vim ſua item vi repellat.

mæ, triplici item corona redimitus, vel alius huius fastus & pompæ procurator aut fautor quiuis, hæc tam tetra & tam horribilia vllis in Christianis territorijs renouauerint, quin perennis Deus, omniũ Regum Rex, quẽ Regina nostra simplici spiritu veroque cultu in ipsis animi mentisq; fibris veneratur, quenque tutorem & defensorẽ suum solũ omnibus in causis suis agnoscit, cuiusq; leges vnà cum æterno æterni filij sui euãgelio per vitam suam omnem tutabitur, omnia sit cumulatissimè allaturus, quæ ad custodiendam conseruãdamq; charissimã Ancillam & seruã suã *Elizabethã* contra terrores quoscunq; necessaria fore videbuntur.

Additamentũ ad Põtificium martyrum catalogum.

Cumq; seditiosi quidã emissarij tubis suis in multorũ aures falsò ac turpiter inflauerint, propter religionẽ quosdã ex nostris esse cęsos, quos pro martyribus in historias suas intexunt, ita possunt si libet, & ijs martyribus suis miserrimi nuper demortui Herôis Desmõdẽsis, defectionis Hiberniæ primi authoris, corpus truncatũ & sine capite adiungere. Qui nuper correpens per solitudines sine præsidio & ope, tanquam errans tenebrio, & in Hibernici coloni manus delapsus, pro sua vetere feritate ab eodem trucidatur, amputato confestim ex gentis more capite. Mors tam perfido proditore, turpique sicario non indigna.

Exitus Desmõdensis Comitis.

Atq; hic cõmemorare libet, principes quidam huius conſpirationis & cum Deſmondenſe ſceleratè confederati, quos ad exitus morteſq; deuenerint, quibuſq; exẽplis perierint. In primiſque à *Sandero* ordiamur Pontificio in Hiberniam legato, qui poſt multas illas proſperitates & prioris vitæ ſplendores, tandẽ per Hiberniæ feræ nationis montes & iuga decurrẽs, & in omnium rerum ægeſtate ſumma poſitus, afflatus ad extremum miſerrimẽ phreneſis veneno, mẽtis expers moritur. Hunc quidem & in eodem exemplo paulùm iam anteà præceſſerat *Iacobus Fitzmauricius*, perdito illo gladiatore *Stuclio* ſolum excepto, primus Hibernicę defectionis author, & in Aula Romana pro venefico, veteratore, & proditore impio notus qui à nobili adoleſcẽte Hibernico, dum territoriũm patrium defenderet, quod exurere proditor cupiebat, primo ictu interficitur. Nec omittendum mihi hic quartum huius ſocietatis exemplum, *Ioannes Deſmondenſis*, detruncati iam anteà Herôis frater, cruentus & infidus proditor & ſingularis familiariũ ſuorum percuſſor & homicida, qui tanquam lupus deprædans, inter nemora & montiũ iuga apprehenditur, & pro nationis vſu trũcatur capite: abũdanter contra hos caſus, vt ſibi perſuaſerat & copioſè munitus, tam per Bullas Põtificias, & conſecra-

Exitus Nicolai Sanderi.

Exitus Iacobi Fitzmauricij.

Exitus Ioãnis Deſmõdenſis.

cõsecratum Dei Agnum, quas à se nugas nunquam dimiserat, quam armatus insigni annulo operosè & affabrè in palam eiusdẽ annuli intexta gemma, ab ipsoq; Põtificis, vt ferebatur, digito detracto, vt virtutis vires cumulatiùs augerẽtur: quę tamen omnia quã nihil ad producendã vitam afferãt, serò miser senserat. Atq; hi erant Hibernicorũ proditorũ fatales exitus, vt ne suspicio quidem vlla maneat, huius tam perditæ societatis quenquã iam nunc superesse. Opus cæleste & ipso Dei numine solũ dignũ. Et quia rabulę isti artificiosi odorãtur omnia, numerum vt illum suum horum martyrũ cumulent, his poterunt, si velint, recentis exempli furiosum iuuenem Varuicensem, *Somerusilum* quendã apponere, qui dum pararet Reginę insidias, mortẽq; per vim instrueret, cuius vitam semper æternus tueatur & perennis Deus, in via & itinere deprehẽditur, nec sceleris sui abnuit quicquã, eoq; se fatetur perductũ, cũ spõte sua & perditis suorũ cõsilijs, tũ legendis famosis quibusdã libellis, nuper in Reginæ Maiest. scelerate perscriptis & publicatis. Cuius hic horribilis exitus fuit, vt in summa desperatione, cingulo ceruicibus deuincto, ipse se strãgularet. Luculentum Dei iudicium in eos, qui in eius vnctos vim & manus afferant. Sed vt hactenus annos multos Reginæ Maiestatẽ, idem *Exitus Somerusili.*

Deus ab ijs casibus securam & liberam cõseruauit, sic vt causæ nihil supersit, quin protegẽte Deo cum Rege Dauid canat, versus Psalmi. *Iehoua petra mea, propugnaculum meum, ac liberator meus, Deus fortis meus, rupes mea ad quem me recipiam. Clipeus meus & cornu salutis meæ.*

Psalm. 18. 3.

Vtq; cõtra inanes hos terrores & mera infantum iocularia Põtificia fulmina, Bullas dico, execrationes, & reliquas illas sordes, boni ciues solatij plus gustẽt, perspicuũ sit omnibus, quod liberè liquet, iam inde ab eo tẽpore, quo primum ad publica gubernacula princeps accessit, ampliore & securiore in pace vixisse ciues, maiores ad numeros vires; eosdem excreuisse, morbis item oblanguisse minus, opibus & diuitijs firmiores fuisse, ipsum etiã terræ solum maiorem fructuum vim & copiam peperisse, copiamq; omnium rerum ad nostrã voluntatẽ affluentium vberiorem fuisse multoq; plenioré, immissis quotidie in regnum & cõtinuatis Põtificijs istis fulminibus, quàm iam anteà pervetustis illis & beatis tẽporibus, cum Pontificiæ comprecationes, sacrata libamina, indulgentiæ, beatitudines, vtrunq; durũ verbũ molliẽdũ tamen vsu, ad regnũ hoc secundissimis votis & plenis velis perferrẽtur, vt planè sit sentiẽdum, execrationes suas turpiter à se profectas, in se suaq; secũdo Dei numine reflexas esse:

Prospera Angliæ tempora manentibus Romani Pontificis execrationibus.

eſſe: vnaq; de Auguſtiſs. *Elizabetha* vt vaticinari liceat, quod populo Iſraelitico de Balaamo in Deuteronomio dicitur. *Noluit Iehouah Deus tuus auſcultare Balaamo, ſed conuertit tibi Iehouah Deus tuus maledictionẽ illam, in benedictionem tuam*, appoſita ratio eſt, *eo quod diligeret te Iehouah Deus tuus.* Deut. 23. 5.

Hæc verò quæ dicta ſunt, cum eam vim in ſe & ſententiam contineant, æquos vt iudices eo perducant, vt libenter & facilè ſentiant hæc omnia honeſtè, rectè, legitimè, & neceſſariò ſuſcepta eſſe, quoniam tamen id poteſt fieri, vt nonnullis fortaſsis, qui legendis & credendis infamibus ſcriptis, vel in Pontificiam Monarchiã nimis propendeant, vel pari errore in veteribus opinionibus perſiſtãt, adhuc non ſit factum ſatis, cenſui igitur, quantũ res, & facultas mea ferant, omnia oculis ſubijcere, hæc quæ à Principe nuper ſunt geſta, nec ob religionem, nec ob Pontificiã Monarchiã, nec ob Regiam ſuã authoritatẽ, ſed ob fœdiſsima læſæ Maieſtatis proditioniſq; crimina cepta, inſtituta, & ad exitum perducta eſſe, repetitis & in memoriã reuocatis illis rationibus, quas in antegreſſo orationis curſu ſtrictim etiam decurrimus.

Rationes quibus planum ſit ob proditiones ſolum non ob religionem quenquã mortis addictum.

Primum igitur negari non poteſt, quin aliquot per annos Regia Maieſtas Pontificias has Bullas & execrationes tolleranter pertu-

lerit, nulla in reos ſumpta pœna, quod eadem cenſeret commentitia eſſe quædam, & vix digna lucubratione anicularum. Poſteà verò, cum cœptum eſt à quibuſdam, propter hanc Principis lenitatem, eo in genere obfirmatius agi, de eiſdem tanquam de nuncijs ſeu monitoribus impendentium malorum ſtatuit, ſimulque vetuſtas illas leges, & contra has feces antiquitùs præſcriptas, contra barbaros hos motus oppoſuit. Secundò, cum viæ ipſæ Bullarum & huiuſmodi ſcriptorum obſepirentur, adituſque difficiliores fierent, copiosè tamen, ſed tectè & ſecretò inferebantur in regnum, arroganterq; in ipſis valuis & ianuis Palatij Londinenſis Pontificis quod eſt propter Diui Pauli templum in media vrbe ſitum, per calonem perditum tanquam per fœcialem Põtificiũ ſunt affixæ. Quis igitur in tãto malo, hoc eſt publicè denunciatis, tàquam per fœcialem inimicitijs, & indicto bello, quod item affectum eſt à ciue, in maxima regni vrbe, & in ipſa Reip. lucè, durius ferat, ſi Princeps in tam perditum latronem, pro ſceleris atrocitate pœnam dignam ſanciendam ſtatuat. Atque hoc nimirum primum erat capitale crimen, in quod propter Romanos tumultus eſt animaduerſum, poſt initum regnum anno duodecimo, vel paulò longius. Tempus probandæ patientiæ

Prima ratio.

Secunda ratio

Bulla Pij quinti valuis Londinenſis Pontificũ affixa.

Primum ſupplicium ob Bullam conſtitutũ

patientiæ in Principe æquo iudicij ſatis plenũ.

Tertio, cum eripuiſſet ſe ſubitò Pontifex è ſella ſua Pontificali & puluinis purpuratis ſubiratior, & in regnum noſtrum offenſior, temeréq; verba in arma transferret, cõtra Diui *Bernardi* præcepta & monita, qui ad huius Pontificis maiorum quendam ſcribens, malé cum Eccleſia tum agi diceret, cùm à verbo ad ferrum ſummus Pontifex deſcenderet, hoc eſt cum relicto paſtoritio munere paſcendi, præceps rueret ad hoſtiles impetus inuadendi, quod expreſsis eſt verbis prohibitum, nobilitatemq; regni noſtri & plebem ad perfidiam & conſpirationes perditas ſollicitaſſet, Dathano & Abiramo aptius quam Romano Pontifici munus, ijſque ipſis ſollicitationibus excitati mali ciues, ſummis pro viribus ſuis omnia expleuerant ſtatim, quæ malitioſiſsimè poterant in Principem ſuam indigniſsimeque excogitare, metatis caſtris, atque explicatis in ordines & in aciem militibus, quis tandem ſana mente & ingenio improbare poterit, ſi Regina, legitima Principis vtens authoritate, illegitimos perditorum ciuium conuentus, conatus, & hoſtiles impetus repreſſerit, ijſq; in principes authores ſumptis pœnis, quibus in patrimonijs Eccleſiaſticis ſuis & Pontifex ipſe pari in periculo ſuo vti ſolet, quoq; intra pau-

Tertia ratio.

Rurealis rebellio.

cos menſes impellebatur & ipſe feré deſcende-
re. Hæc verò ſi quis Princeps regnorum, di-
tionum, & nationum poſſeſſor, tam tetro in
genere tulerit, vt ſpoliari ſe à ciuibus malis
patiatur, regniſque ſuis exui, minimé reſiſtens,
ac virtute & mente deficiens, quis tandem tam
vecordis Principis vel commiſeretur, aut quis
non ſtatueret potius eundem dignum, qui non
ſolum corona & regno, ſed vita etiam, ſpiritu,
& capite, ob tandem vecordiam mulctaretur?

Quæritur. Quarto, cum fuſis & deletis iam borealibus
regni noſtri hoſtibus, perſpiceret adhuc etiam
Regina, inueteratum hoc Pontificium odium
altiores radices agere, quod huius ſceleratæ
conſpirationis affines, & reos omnes, qui fu-
gientes caſtris iſthuc tranſuolarent, reliquam-
que regni noſtri fecem omnem quacunq; iam
antea cauſa elapſam, munificé & largiter ex-
cepiſſet, eorumque permultos, veſte & appa-
ratu perſonatos, in vtrumque regnum remiſe-
rit, vt ad ſeditiones allicerent & vrgerent ple-
bem, ac vetera arma renouarent, ſtatimque
cohortes & copias emiſerit ex Italiæ finibus,
quæ tranſportarentur ſumptibus ſuis in Hy-
berniam, ne fruſtrà demiſiſſe à ſe ſollicitato-
res illos perditos videretur, vbi eædem copiæ
cum auxiliarijs quibuſdã Hiſpanis coniunctæ
ſimul exponebantur, omni inſtrumento bel-
lico

Impreſſio à Pontifice Romano in Hyberniam facta.

lico instructissimæ, & in marino sinu dispositæ, quàm poterant cautissimè firmissimeq; se munierant, indicto sine mora in Principem nostram bello, & erectis Pontificijs signis, dubitare ne iam poterit quisquam, etiamsi faueat Pontificiæ sectæ eoque propendeat nimis, quid à Principe in tam luculento discrimine fieri debeat? aut quid potius aliud consilij dederit, quàm vt insusurratoriam hanc fecem, occultè & periculosè per omnes regni partes grassantem, transslatitio item apparatu & pene gladiatorio, non suo vestitam, quam primum apprehendat, vt eandem in custodias & carceres disponat, habitisque in eos quæstionibus, vt ad confessionem criminum maturius perueniatur, reosque execrabilis proditionis, tam confessionibus suis, quàm suorum testimonijs repertos, cur non iustis pœnis deuinciat, atque mulctet, ijs præsertim temporibus, cum exercitus & arma Pontificia grauiter Hyberniam infestarent, expectato etiam iam iamque ex Italia nouo supplemento, tam ad Angliam quàm ad Hyberniam vexandam & oppugnandam? Quibus periculis, vt maturè & suo tempore resisteretur, thesaurus infinitus impensus est, tam à Principe quàm à ciuibus, vt ab inito regno par à Principe summa ad nullos similes casus sit collata.

Itaque, quà perennis Dei ſumma prouidentia, quà clementiſsimæ Reginæ diligentiſsima vigilantia factum eſt, vt conuicti per leges domeſtici proditores, iuſtas pœnas luerent, vireſque Pontificiæ in Hybernia armis & viribus noſtris cedentes, prorſus frangerentur, paucis exceptis præſtantioris gradus & notæ, eoq; aſſeruatis miſericordiæ, quod & ſectam illam fœdam libenter deſererent, & permultum pœnituiſſet, quod ad tam turpem mercaturam, & ad tam ſceleratos conuentus ſe demiſerant.

Copiæ Pontificiis Romani in Hybernia deuictæ.

Licétque ijs punctis argumentorum, qui rationi fortaſsis & acumini parere ſolent, quibuſdam perſuaderi poterit, ritè legitimeque huc delapſam Reginam eſſe, primum vt in rebelles & proditores vi & armis vteretur, tum vt huius ſocietatis affines & fautores omnes ijs pœnis, quas præſcripſerant leges deuinciret, poſtremò, vt omnem illam Pontificiam ſentinam in regna ſua immiſſam, gladijs ac telis reprimeret: ſuperſunt tamẽ & alij quidam, nimis arguté & præciſe propendentes in Pontificatum, quibus adhuc minus, vt audio, ſatisfactum eſt, & ſtomachantes nonnihil, aliquot tanquam rebelles eſſe trucidatos, gregem ſimplicem & innocentem, & ipſo vitæ genere literas profitentem, vt ſacerdotes quoſdam, *Seminarios, Ieſuitas*, qui non venerunt in hæc re-

Obijcitur à Pontificijs qui cæſi ſunt ob proditiones, nudos ſcholares fuiſſe & inermes.

gna

gna cum telis & armis, vt ſeditioſis auxilia ferrent. Ad quorum quidē ſubleuandam ſimplicitatem, admodum artificioſé & in hunc ſenſum videtur hæc commiſeratio induci, vt conceſſo fortaſsis, quod contrarias religionis opiniones ſparſiſſent, quod contra leges publicas plebem inſtituiſſent, eſſe tamen pœnas multas leuiores, quæ potius in hos miſeros, quàm capitales illæ expromerentur, multo fuiſſe optabilius. Quod quidem defendendi genus hanc habet vim, magis vt reprehendant ſalutarem puniendi ſeueritatem, quàm vt perditam illam fecem à ſordibus ſuis liberet. Vt propiùs igitur accedam, atque vt pedem pedi magis opponam, hanc ab ijs lautis vel præfractis potius fautoribus rationem exigo, ſi quidem ſint ex illis qui rationem audiāt, quid tum conducat fieri, cum Princeps, poſſeſſo diu & ſtabilito in fide & pace regno, primum occultis inſidijs, deinde in apertam vim erumpentibus pernitioſé infeſtetur, eaque à domeſticis ciuibus labes ſit ſuſcepta, eoſq; impetus hoſtis tranſmarinus defendat, proditiones nuncijs & opimis promiſsis vt expleant ſceleta ſua incitet, perfidiam & defectionem ciuium chyrographis ſuis confirmet, cumq; hoſtis ille idem, huius flagitioſæ cōſpirationis author & Princeps, ijs domeſticis viribus ſuas etiam externas

vires adiunxerit, regnumque turpiter ac fœde vastauerit, nullum ne in hac lue ciuem, licet proditores opera & facultatibus suis adiuuet, licet hosti illo transmarino pro omni obseruantia sua pareat, pœna capitali mulctare licet, præter solum illum, qui vim & arma intulerit in patriam? Nullusne ciuis licet sit transfuga, licet sit explorator hostium, eoq; artificio multa in Principem machinetur puniendus est vt proditor, quod grassaretur sine telis & armis, deprehensus tamen vestitu alieno, vt magis Principi noceret, adiunctis etiam scriptis & literis ad hostes, in maximis itidem vrbibus, castris, & quibuscunque regni partibus in ipsa item Principis Aula petulanter obambulãs, vt omnia quàm intimé perscrutaretur, quid hoc homine faciendum est? Nonne proditor apertus & in patriã sacrilegus? Quid? nullusne qui congiarium præbuerit, qui thesauris suis in Principem & patriam milites conduxerit, qui comeatus & ductus aquarum venenis corruperit, qui naues & munimenta marina inflammauerit, qui portuum vada & fossarum altitudines perscrutetur, qui in murorũ vallorumq; vires, latitudines, altitudines, cæteroſque illos Reip. neruos curiosius inquirat, nullúsne horum, inquam, pro proditore censendus, quod cum telo non sit deprehẽsus, nec vtatur armis?

Multi sunt proditores qui non portant arma.

Equidem

Equidem vt lis hæc aliquando componatur, ſic ſentio, nihil ab humana & erudita ratione alienius eſſe, quàm non quenquam horum pro teterrimo hoſte habendum. Ad quod idē confirmandū cùm multa valent, & afferri poſſent, tum præcipuum quendam redarguendi locum illud habet, quod expleméta ſint hęc omnia, & tā neceſſaria adiuméta, vt ijs adiunctis, facilè ſit arma vel ſuſcipere, vel deponere. Sin perſeuerent tamē, neminem eſſe hoſtē, neminē proditorē, niſi armatum, ne Iudas quidē ipſe proditor fuit, qui fraudē animi oſculo falſo texerat.

Nunc autem illud reſtare videtur, vt excutiamus eorum ſimplicium res geſtas, qui fin- *Collatio togatorum proditorum cū armatis prodituribus.*
guntur à quibuſdam, ſolum vt literatos deliquiſſe, id eſt, literas & doctrinam profitentes, eoque videri fortaſsis aliquo in genere peccaſſe, ſed totum illud magis in verbis atque in oratione poni, quam in ferendis armis vel hoſtibus adiuuandis conſiſtere. Vt nullus igitur error maneat in verbo, quouis cenſeantur nomine, vt ſibi libuerit maximē, vel vt ſcholaſtici, vel vt præceptores, vel vt literati, vel vt *Seminarij*, vel vt Sacerdotes, vel vt *Ieſuitæ*, vel vt fratres initiati, vel vt Pontificij, vel ſi quo maluerint alio vti nomine, de eo certamen nullū erit. Nihil enim illis vel nomen, vel veſtis obfuit. At verò pruritus illæ fœdus, in ſpargēdis

venenis in plebis animos, vt ad seditiones præcipites ruerent, nimirum hic ille est, qui & eiusdem criminis reos eosdem fecerit. In eorũ personis hostile nihil consistit: à præceptis tamen consilijque eorum, arma ciuilia & sumpta & continuata sunt, illisq; inuitis extorta. Ab hoc fonte, tanquam à Principe causa, illud manat publicum dedecus, omnia rebellium proposita & constituta, eò solum excurrisse, vt Reginæ coronam regnumq; eriperent, vt ex Pontificijs Bullis perspicue cernitur. Instrumenta verò efficiendi, & tanquam opportunitates agendi, ab ijs seditiosis seminatoribus publicarũ ruinarũ, tanquã à medijs & adiunctis causis peti debent, vt ex occultis & misticis insusurrationibus in plebis animos simulque ex perditis cum Pontifice reconciliationibus cõfirmatur. Exitus verò horum scelerum & cuẽtus, bonorum sunt ciuium cædes: Inuadẽtium præda, si quid valere possent, quod Deus auertat, est nobilium exhæredatio, reliquorumque ciuium tam initiatorum quàm non initiatorum nefaria direptio: eorum tamen ciuium dico, qui subductis officij rationibus, tam sacrato Dei verbo, quam Sacramentis, religiosis sponsionibus, obseruantia & incunabilis suis, se obligatos sentiunt, sine vllius periculi exceptione, vt Augustissimam Principem, cõiuges liberos,

liberos, familias, & vno nomine patriam omnem sartam tectamq; à malis omnibus, quoad possint & pro facultate sua omni, conseruent. Nunc igitur hos excutiamus, imbelles & simplices, vt appellantur, siue literatos, siue togatos, siue Sacerdotes, vnaq; discamus ab ijs, cur patriam suam primo reliquerint? Deinde, cur cum ijs, harum conspirationum ducibus, siue Romæ siue alibi vspiam familiarissimè vixerint, ijsdem criminibus infames, & vt luculentis vestigijs expressum est, totius sceleris rei respondeant, cur occultis itineribus illapsi in regnum, in latebris se & latibulis versutè occultent, immutatis nominibus, insignibus, & ipsa apparatus forma? Cur callidis & insidiosis suis consilijs, turpibusque monitis plebem allexerint, vt Pontificios hos impetus, & nefarios conatus, tam præteritos quam futuros, assiduitate, studio & opera comprobarent, eaq; omnia se pro legitimis & ratis habituros. Cur tot ciues a legibus patrijs, à fide & obseruantia in Principem, ad Pontificias partes traduxerint, cur acerbissimum Principis & regni hostem, quemq; norant iam anteà Reginam nostram sceleratis suis scriptis, quantum in illo fuit, exhæredasse, ciues in eandem rebelles & seditiosos incitasse, regnaque sua hostilem in modum, armis & ferro inuasisse, tam impiè

defenderint? Itemq; à perſonatis iſtis & inermibus exploratoribus vlterius exquiratur, quid deprehenſi de *Pij quinti* Bulla reſponderint, quæ ita perſcripta & publicata eſt, vt à Regina abiudicaret regnum, & ciues ab ea deficientes odioſiſsimis ſuis chyrographis, à violatæ fidei periculo liberaret.

Sex rationes quibus diſtinguantur togati & ſeculares à proditoribus.

Primò, num ſenſerint & neceſſariò parendũ ijs Bullis eſſe, & ex earum authoritate à Principe quã primum deficiendum? Secundo, num Principem noſtram cenſerent legitimã regni Reginam eſſe, contra, quã in ijs Bullis perſcriptum eſt? Tertiò, num licuit Romano Pontifici ex iure & legibus diuinis, mandare Northumbrienſi & Veſtmerlandienſi Heroibus, primis borealis defectionis ducibus, cęteriſq; ciuibus qui eiuſdem ſceleris affines erant, vt armati inuaderent patriam, eamq; diriperent (quod ſimul eſt ab illis factum) vel *Sandero*, natiuo ciui, ſed fero & perdito ſacerdoti licité præcipere, vt ſumptis armis vexaret & vaſtaret Hyberniam? Quarto, num Romanus Pontifex ſiue domeſticos noſtri regni, ſiue externos aliorum Principum ciues, à iureiurando, fide, & obſeruantia in Principes ſuos, ſumma cum impunitate, liberare poterit? Quinto, num rebellis ille Sacerdos *Sanderus*, & proditor non minus infamis, iamque in tranſmarinis regnis errans

errãs *Bristoûs*, rectè an secus Bullam hanc scriptis suis comprobarint? Postremò, quid faciẽdum censerent, si vel Pontifex ipse, siue quis à Pontifice institutus irrumperet in regnum, vt idem diriperet, quibus se partibus adiungerẽt, & quo bonorum ciuium animos inflectendos esse statuerent? Quibus irretiti quæstionibus, quæ vtiq; veri & falsi certissima sunt fundamẽta, & fidem à perfidia perfacilé distinguunt, isti inermes & literati proditores, nihil quidem volebant simpliciter & apté respondere, quod in Rep. bene instituta ciues boni nunquam recusarent. Qui vt recusassent, pro more regni nostri, & ex legibus respondere, cum eo ipso iuste possent condemnari, non sunt tamen huius pertinaciæ facti rei, sed prioris vitæ, tam foris quàm domi in conspirationibus seditiosis consumptę, & in lucem pro tribunali extracti, tot sunt proditionis & tam fœdis maculis conspersi, vt in neminem quidem vel horum, quos recensui paulo antè, uel in Iudam ipsum, qui itẽ inermis erat, expressior vlla nota illustrioris sceleris possit quoquo modo imprimi. Nã personati isti, siue scholares, siue Sacerdotes, cũ maximos vsus summasq; familiaritates, seditiosis illis cum rebellibus foris contraxissent omniaq; perdidicissent, quæ in cursu horũ scelerũ tractanda & suscipiẽda essent ex Põtificijs

Trucidãtur rei ob læsam regni Maiestatem non ob Dei religionem.

mandatis, tum, cum armis plena essent omnia, id est, in ipsa ciuilis belli flamma, secretò & tecte relabuntur in regnum, vt Pontificij exploratores, tanquam nuncij, qui ferrent & referrent omnia, simulque plebis animos præparent, vt instructi essent semper & parati, ad coniungendas cum ijs vires, qui aliundè & foris, ad inuadendum regnum essent immissi, in spargendis identidem superstitiosis fecibus minimè ocioſi, vnaq; infundentes in omnium animos perditissimas contra Principem patriasque leges & iura, opiniones, inflammatis ad pernicioſos conatus malorum ciuium animis, omniumque omnes in partes inflexis & tentatis intimis sensibus, nihil vt ab ijs vel pro principe, vel in principem fraudis, prætermissum videretur. Postremò vt confecto volumine quodam, in quo nomina, vires, habitationes, & familias expressè perscriberent eorum, qui parati ad defectionem, cum transmarinis impressionibus vires suas coniungerent. Nimirum hæc seditionis acta, hæc Pontificia seruitus, hoc iuuandorum proditorum tam acre studium cum foris tum domi cõtractum, hæc inquam illa sunt, quæ tetræ proditionis reos hos fecerunt, non volumina, non libelli, non præcum formulæ, non feriæ, non Ecclesiæ Romanæ ceremoniæ, non consecrata cæra,

ra, nec è Pontificijs quiſquilijs præterea quidlibet, vt concludi rectè poſsit, ijs ſicut teterrimis proditoribus regnique hoſtibus, pœnas capitales impoſitas eſſe, licet inermes, licet ſine telis ſint comprehenſi, nec quoquam vnquam armati contra Principem proceſſerint. Iam verò, ſi hic Epilogus, & tam diligens præmiſſarum rationum repetitio, linguas, ſpiritus, & venenatas voces non conſtringat, nec obſtruat eorum, qui tam fœdis opinionibus erroribuſq; rapiuntur, vt ſceleratas coniurationes conſpirationeſq; in Principem & patriam tueantur, armaque ciuilia comprobent, omniũ rerumpublicarum ipſum venenum, hos præpotentis Dei æternis iudicijs aſſeruandos cenſeo, vt exitioſum tamen ciuium genus, nec ſibi magis, quam reipub. noſtræ fatale, quippe cum oculos à luce, aures à veritate, à ratione mentem auerterint, vt rectè in eos diuinaſſe Pſalmus videatur. *Loquũtur mendacium, venenum eſt illis ſimile veneno ſerpentis, ſicuti aſpidis ſurdæ obturantis aurem ſuam.* Pſal. 58.5.

Quin lapſus eſſem lõgius, niſi me retinuiſſem, vt piè igitur & Chriſtianè concludatur, ſi infidi iſti coniuratores & rebelles, vſq; eò iam tandẽ comiſereri velint ſanctæ patriæ, vt paululum ruminent ſecum, quàm fruſtra tumultus iſtos hoſtiles commouerint, quàm fruſtra

prodierint in aciem, quàm fruſtra pilis & gladijs ſuis depugnauerint, vnaque quàm multi ſuorum varijs calamitatum generibus conſumpti, ignominiosè perierint, quàm nulla cœpta, conſilia, inſtituta, vel propoſita ſua, ad eos exitus, quos ſperarent, peruenerint, vt nihil ſuperſit cauſæ, quin optima cum ratione & quàm primum, à tam perdito furore deſiſtant, & ab omni hac externa fraude piè ſe ac religiosè expient, ſique petulantes illi *Seminarÿ*, qui in tenebris errant & vagantur, pertimidi ſemper & ſuſpicantes omnia, in lucem velint & ſolem prodire, ad verum diſciplinæ ſcholarumque ſuarum vſum totos ſe immutantes, atque humiliter demiſſeque in Principem & patriam ſe gerentes, omiſsis ſimul ineptijs illis ſuis penè anilibus, itemq; ſi cohors illa tota *Seminariorum*, quæ linguæ, facultatis, & ingenij ſui vires omues, multos iam annos eò contulerit, vt probra, conuitia & turpiſsima mendacia, perſcriptis libris in Auguſtiſsimam Principem, fœdiſsimé depromeret, ſi hæc inquam, retexta prioris vitæ tela, ad charitatem, obſeruantiam, & fidem in Principem atque patriã ſe reſtituat, non ſolum hæc Chriſtiané & optabiliter ab illis fierent, ſed nec dubitandum quidem quoquo modo cenſeo, quin Auguſtiſsima, pro placabilitate mirifica & diuina

diuina clementia ſua, non ſolum auidè ſiſtat manus de reliquo, à ciuium fundendo ſanguine, quo remedio impulſa eſt ad ſe conſeruandam vti, ſed & omne beneficētiæ genus, quod quidem in bonos ciues à principe generoſa & potente proficiſci poterit, ſumma cum indulgentia cumulatè ſit & plenè collatura. Sin in prioris vitæ inueterato odio ſceleratè perſtiterint, tum quidē vota facienda, vt continuato regno, & ad Dei timorem, verumque eiuſdem cultum piè ſtabilito, quod diuinitus iam diu factum eſt, quàm longiſsimè eodem perfruatur Regina, tam ad frangendos horum perditorum flagitioſos impetus, cum domi tum foris, quam ad tuendos conſeruandoſque bonos patriæque amantes ciues, in coſque purè ſanctéq; ad veram Chriſti religionem inſtructos, ſumma in pace, & quàm diutiſsimè regnet.

Sexcenta poſſent alia colligi, ad quamplurima Auguſtiſsimæ principis inuenta, & publica munera exornāda, quæ quū ſancte à Maieſtate eius, & ad communem regni diſciplinam prudenter ſancirentur, horum tamen *Seminariorū* infamibus libellis mirabiliter ſunt fœdata, & contagioſiſsimis turpificati animi ſignis inuſta. Sed illa, vt nunc quidem eſt, miſſa facio. Hæc item quæ fuſius ſunt dicta, vt acta Reginæ noſtræ, tāquam in bono lumine, tam

foris quam domi proponerentur publicè, & vt teſtata expreſſe veritate, minus cum aduerſarijs haberemus negotij, hæc inquam, æquis iudicibus, quorum permagnum numerum, & perilluſtrem fidem eſſe ſpero, ad Auguſtiſsimæ Reginæ noſtræ res geſtas aperiendas, in eo tamen duntaxat genere de quo iam diximus, abundanter, vt confido, & vberrimè ſufficient.

ESDRAS IIII.

Magna eſt veritas, & præualet.